



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

**Lourenço, Agostinho**

**Leodici Eburonum, 1692**

Disputatio III. De Conscientiâ erroneâ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

levis in grave, ut si quis haberet volitionem mentiendi, & postea superior prohiberet mendacium, jam illa volitio, si perseveraret, haberet malitiam mortalem.

131. Ex dictis colliges primò, conscientiam rectam posse licite deponi per inadvertentiam, utpote quæ excusat à peccato: sicut etiam excusat motus primò primus, qualis dicitur actus ille, qui fit ante omnem usum rationis, & considerationem malitiæ: motus autè secundò primus, qualis est actus factus cum imperfectâ advertentiâ solum est peccatum veniale, ut contingit in illis, qui semisopiti, idest, non plenè à somno excitati pollutionis voluptate fruuntur non plenè advertentes ad illius malitiam. Vide Bonacim. cit. de Peccat. d. 2. quæst. 2. punct. 3. num. 1. & 11.

132. Colliges secundò, ad peccatum mortale necessariam esse plenam, & perfectam advertentiam, seu cognitionem malitiæ; dedecet enim divinam pietatem hominem ad æternas penas damnare ob imperfectam deliberationem: Sufficit tamen ad peccatum advertentia illa, quâ cognoscitur actus, aut res aliqua, pro ut est utilis, vel delectabilis, dummodo detur cognitio attingens malitiam moralem, idest, quæ Deum offendit. Ita P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 1. num. 7.

133. Hinc est, quòd si quis in die jejunii cenat, advertens se comedere, & cenam esse sibi delectabilem, non tamen advertit, cenam tunc esse malam moraliter, idest, prohibitam, non peccat. Similiter si actus ex se habeat multiplicem malitiam, & homo faciens talem actum, ad unam tantum illius malitiam advertat, solum illam contrahet, ad quam advertit. Unde si Petrus habens votum castitatis desideravit peccare cum Bertâ uxoratâ & consanguineâ, nullo modo advertens ad suum votum, neque ad conjugium, & consanguinitatem Bertæ, non contrahet malitiam sacrilegii contra suum votum, neque adulterii contra iustitiam, neque incestus (sic enim appellatur luxuria cum consanguineâ,) sed solum contrahit malitiam simplicis fornicationis, quam solum tenetur explicare in confessione, non verò alias malitias, quas ille actus ex se habet. Imò peccaret mortaliter, si se accusaret de sacrilegio, adulterio, & incestu, nisi adderet, se ad istas malitias non advertisse; siquidem integritas Confessionis postulat, quod non dicatur, ut peccatum, illud, quod peccatum non est; ubi verò non datur advertentia, non datur peccatum. Ita P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 1. num. 8. & cap. 16. num. 10. Bonac. de Peccat. d. 2. quæst. 2. punct. 3. num. 10. & apud illum P. Vasq.

134. Dico 2. Conscientia recta potest etiam deponi, non tamen licite per voluntariam distractionem, ut si quis nolit considerare obligationem præcepti, ut sic liberius, & sine remorsu conscientia illud violat. Probat, quia hæc ignorantia, sive inconsideratio est affectata, contingitque quando homo datâ operâ, idest, de industria vult ignorare, ne relinquat actum, quem vult, aut ne fervet aliquod præceptum; sed huiusmodi ignorantia non excusat à peccato; ergo &c. Confirmatur, quia ignorantia, sive inconsideratio affectata non excusat à pena, etiam si sit imposita facientibus scienter talem rem; ergo neque sic excusabit à culpa.

135. Hinc est, quod si imponatur excommunicatio omittentibus scienter Missam, vel jejunium, idest, in die, quo sciunt esse obligationem Missæ, aut jejunii, Petrus, v.g. non incurret prædictam excommunicationem, omittendo hodie Missam, aut jejunium, si ignoraverit esse hodie obligationem

Missæ, aut jejunii per ignorantiam crassam, & supinam, quæ tunc datur, quando homo dubitans de sua obligatione, nullam, aut valde modicam fecit diligentiam, consequenterque habuit summam negligentiam, quæ omnino requiritur, ut ignorantia dicatur crassa, ut docet P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 16. num. 7. contra P. Soar. incurret tamen Petrus prædictam excommunicationem, si habeat ignorantiam affectatam. Ita P. Sanch. lib. 9. de Matrim. d. 32. num. 40. P. Soar. tomo 5. in 3. part. d. 4. sect. 10. num. 1. & plures alii apud ipsos.

Attamen Dian. 3. part. tract. 5. resol. 13. cum Bonacim. de Censur. d. 1. quæst. 1. punct. 1. num. 11. docet non esse minus probabilem sententiam asserentem, quod etiam ignorantia affectata excuset à pœnis, quando imponuntur omittentibus, aut facientibus scienter aliquam rem; siquidem non dicitur propriè scire ille, qui habet ignorantiam affectatam; verba autem legis pœnalis non sunt extendenda ultra propriam significationem; quod enim jus non determinat, nec nos determinare debemus per Gloss. in cap. liquido, de Consecrat. ergo homo ille non incurret prædictam excommunicationem.

Dico 3. Conscientia recta potest etiam deponi tertio, & quarto modo, de quibus supra num. 123. aliquando tamen prædicta depositio fit cum peccato, aliquando sine illo. Probat, quia quando rationes contrariæ inducunt temerariè, & imprudenter vincibiliter ad suspensionem consensûs pro utraque parte, aut ad assensum contrarium, tunc depositio erit peccaminosa: quando autem ita inducunt, ut homo rationabiliter sibi persuadeat ad talem suspensionem, & assensum contrarium, erit licita depositio; ergo &c.

Oppositum tenent Capreol. in 2. dist. 39. quæst. unica, art. 1. Rayner. cap. 9. de Conscient. D. Antonin. 1. part. tit. 3. cap. 10. & alii. Fundamentum sumitur ex D. Thom. quæst. 17. de Verit. art. 4. ubi docet, illum, qui habet Conscientiam rectam, si illam deponat, graviter peccare; ergo &c. Respondeo hominem non semper peccare, quando ex sciente fit errans; licet enim peccet, quando error est vincibilis, non ita tamen peccat, quando error est invincibilis, ut patet ex dictis, & patebit latius ex dicendis in sequenti Disputatione: sitigitur.

## DISPUTATIO III. De Conscientiâ erroneâ.

### SECTIO I.

An detur, & quid sit Conscientia erronea?



136. Dico 1. Certum est dari Conscientiam erroneam, ut tenet D. Thom. quæst. 17. de Veritat. art. 2. & in 2. dist. 39. quæst. 3. art. 2. & cum illo communiter Theologi: illamque esse iudicium firmum absque formidine dictans esse, quod non est, aut non esse, quod est, quod iudicium est simile conscientia rectæ: sicut enim conscientia recta est, non quæcumque conscientia, sed vera cum certitudine, ut supra diximus; ita

ita conscientia erronea non est quæcumque conscientia falsa, sed falsa cum firmâ adhæsione, absque ullâ dubitatione, & formidine.

Hinc est laborare Conscientiâ erroneâ, qui prout sic iudicat esse bonum illud, quod est malum, aut indifferens: item qui iudicat esse præceptum illud, quod solum est consilium, ut si quis iudicaret dari præceptum ingrediendi religionem, aut dandi elemosynam pauperi, cum tamen solum sit consilium, nisi pauper sit in extrema necessitate; tunc enim teneris succurrere pauperi, etiam de necessariis ad tuum statum; in gravi autem necessitate solum teneris de superfluis. Ita P. Soar. de Charit. d. 5. sect. 3. num. 5. & sect. 4. num. 3. Item foret conscientia erronea, quæ quis iudicaret esse consilium illud, quod est præceptum, ut si quis iudicaret solum esse consilium restituere mutuum, quod apud se perierit, etiam sine ipsius culpa, cum tamen sit præceptum, ut docet cum communi P. Fagun. lib. 7. decal. cap. 18. sine. Aliter tamen dicendum de commodato, nempe de equo, quem si mihi commodasti ad certum tempus, v. g. ad octo dies, dicitur commodatum; si verò non determinasti tempus, sed cum pacto, ut possis illum revocare, quoties volueris, dicitur precarium. Vide Bonacin. d. 3. de Contract. q. 15.

Objicies 1. Conscientia ex D. Basil. homil. 12. in Proverb. appellatur naturale iudicatum intellectus; sed naturale iudicatum nunquam errat; nam id, quod est naturale, idem est apud omnes, & semper; ergo non datur conscientia erronea. Respondeo primò D. Basil. non accepisse conscientiam strictè, sed latè pro synteresi, quæ sicut est naturale iudicatum, ita errare non potest. Respondeo secundò cum D. Thom. quest. 17. de Verit. art. 2. ad 1. Conscientiam appellari naturale iudicatum, in quantum est conclusio illata ex naturali iudicatio, in qua potest error contingere, non ratione naturalis iudicatorii, sed propter rationem propositionis particularis assumptæ, vel propter inordinatum syllogizandi modum, ut infra dicemus.

Objicies 2. Conscientia est scientia; sed hæc semper tendit in verum, ut docet Aristot. de Posterior. resolut. in intro; ergo & conscientia, consequenterque errare non potest. Respondeo primò cum D. Thom. cit. ad 2. Conscientiam esse scientiam lato modo, quo sensu quamlibet notitiam vocamus scientiam; & prout sic etiam qui opinatur, dicit se scire. Respondeo secundò cum eodem, Conscientiam addere supra scientiam applicationem scientiæ ad actum particularem; & in ipsa applicatione posse dari errorem, licet in ipsa scientia non detur.

Objicies 3. Conscientia comparatur ad synteresim, sicut ignis ad scintillam; nam synteresis ex D. Hieron. in Ezech. 1. dicitur scintilla conscientiæ; sed eadem est operatio ignis, & scintillæ; ergo etiam conscientiæ, & synteresis; sed hæc nunquam errat; ergo neque illa. Respondeo cum D. Thom. cit. ad 3. non esse opus, quod synteresis eodem omnino modo se habeat ad scientiam, sicut se habet scintilla ad ignem, sed satis esse, quod detur aliqua similitudo; datur autem in eo, quod sicut scintilla est, quod purius est de igne, & quod supervolat toti igni: ita synteresis est id, quod supremum reperitur in conscientiæ iudicio, secundum quam similitudinem synteresis dicitur Conscientiæ scintilla.

Objicies 4. Conscientia ex D. Damascen. lib. 8. est lex nostri intellectus; sed lex est certior intellectu; intellectus autem semper est rectus, ut dicitur

lib. 3. de Anim. ergo à fortiori recta erit semper conscientia. Respondeo Conscientiam dici legem intellectu secundum quod habet à synteresi, & secundum hoc nunquam errat, sed aliundè, ut diximus.

Objicies 5. Ratio ex ea parte, qua synteresim attingit, non errat, ut diximus; sed ratio conjuncta synteresi facit conscientiam; ergo conscientia nunquam errat. Respondeo, licet ratio præter conjungitur synteresi non erret, posse tamen rationem majorem, aut minorem errantem applicari synteresi, sicut major falsa adjungitur minori veræ, aut è contra, & tunc dabitur error in applicatione.

Objicies 6. In iudicio statum dicitur testium; sed in iudicio Divino testis est conscientia ad Rom. 2. ibi: Testimonium illis reddente conscientia sua; iudicium autem Divinum nunquam potest falli; ergo neque conscientia errare. Respondeo in iudicio statum quidem dicitur testium, quando testium dicta non possunt per alia manifesta iudicia argui falsitatis, ut possunt in conscientia, ut ex dictis patet.

Objicies 7. Regula, ad quam alia regulantur, debet in omnibus habere rectitudinem indeficientem; sed conscientia est quædam regula humanarum actionum; ergo debet in omnibus rectitudinem habere. Respondeo Conscientiam non esse primam regulam actionum humanarum, sed quasi regulam regulatam à synteresi, sicque mirum non esse, si in ea possit error accidere.

Objicies 8. Spes innititur conscientiæ, ut habetur per Gloss. 1. Tim. 1. Sed spes certissima est, ut habetur ad Hebr. 7. ergo conscientia indeficientem rectitudinem habet. Respondeo Spem, quæ fundatur super Conscientiam rectam, habere certitudinem: Spem autem, quæ fundatur super Conscientiam erroneam, esse illam, de qua dicitur: Spes impiorum peribit.

Dico 2. Conscientia erronea plures habet causas veluti effectivas: Prima est ignorantia, de qua infra. Secunda est negligentia, ob quam homo non curat scire, quæ si sciret, à peccato illum retraherent, idèque talis non excusatur à peccato per text. in cap. ultim. dist. 37. Tertia est amor proprius, & inordinatus; homo enim se ipsum nimium diligens, non attendit ea, quæ sibi secundum spiritum conveniunt, sed quæ appetitus dicitur, & caro concupiscit. Quarta est pusillanimitas, secundum quam homo formidolosus timet, ubi non est occasio timendi juxta illud Psalm. 13. Trepidaverunt timore, ubi non erat timor.

Quinta causa est superbia, per quam homo ita adhæret proprio iudicio, ut intellectum suum per humilitatem nolit prudentum dicto subicere. Sexta est perplexitas, quæ contingit, quando homo habet duo iudicia contraria, quorum unum dicitur dari obligationem faciendi, alterum verò omittendi talem rem, v. g. audiendi, & non audiendi, sive omittendi Missam. Septima est humilitas cordis, secundum quam homo putat se committere defectus varios, de quo est sententia illa D. Gregor. in cap. 4. dist. 6. Bonarum quippe mentium est, sibi etiam (aliquo modo) culpas suas agnoscere, ubi culpa non est. Ita de hac re P. Bard. discept. 3. cap. 1. qui addit, sex priores causas esse reprehensibiles, quintam nimis periculosa, septimam verò laudabilem.

Hinc est, quod multi ex hac septima causa conscientiæ erroneæ sibi persuadent, habere obligationem remittendi injurias sibi illatas, cum tamen

D 3 non

teneantur, nisi rancorem, & odium deponere, quod nemo potest admittere; siquidem non licet aliquem odio habere ex cap. *Cum in lege*, 23. *quæst. 4.* sicque nemo potest absolvi, nisi prius deponat odium; satisfactionem tamen nemo tenetur dimittere; sicut neque actionem ad illam in iudicio forensi procurandam. Ita *P. Fagun. lib. 8. decal. cap. 17. sine.* Imò addit *Joan. Sanch. d. 2. num. 11.* posse à Deo petere vindictam, dummodò appetitus iste non nascatur ex odio, sed zelo iustitiæ. Patet, quia licitum est petere à iudice humano satisfactionem; ergo etiam à Iudice Divino. Quæ si Confessarii poenitentibus declararent, illos liberarent à multis peccatis, quæ fortasse ex conscientia erronea sæpius committuntur.

14. Dices: Concionatores sæpius exhortantur ad remittendas injurias nobis illatas; non autem id facerent, nisi ad illas remittendas teneremur; ergo &c. Respondeo Concionatores, quando id faciunt, aut solùm dant consilium optimum; difficile enim est nolle remittere, & conservare appetitum vindictæ sine odio: aut solùm intendunt, quòd non procureremus vindictam propriâ autoritate, quam sumere non tenemur, nec possumus, sic enim tenemur dimittere debitoribus nostris, ut Deus nobis debita nostra dimittat, ut ipse nos docuit & verbo, & exemplo.

15. Præter causas assignatas habet etiam Conscientia duplicem aliam causam veluti formalem, sive modum duplicem, quo ipsa conscientia generatur, quem modum explicat *D. Thom. quæst. 17. de Verit. art. 2.* nam cum Conscientia sit quædam applicatio scientiæ, id est, principiorum, seu præmissarum, ad aliquam specialem conclusionem inferendam, ex qua manifestetur aliqua obligatio, ut patet in hac: *Lex est observanda: sed hodie est lex Missæ; ergo hodie est audienda Missa:* in qua ex duobus illis principiis, seu præmissis, prædicto modo applicatis, infert conscientia obligationem audiendi Missam, contingere potest, quod in applicatione principiorum, seu præmissarum detur error, sicque conclusio, sive conscientia sit erronea, quod dupliciter accidere potest.

16. Primo modo, quo applicatio potest esse mala, est, si principia, quæ applicantur, sint falsa, v. g. habet intellectus hoc iudicium verum: *Omne, quod Deus prohibet, est malum:* deinde habet hanc minorem; *Sed Deus prohibet omne juramentum;* nam *Jacob. 5.* dicitur: *Nolite jurare omnino:* & tunc infert; ergo omne juramentum est malum: generaturque conscientia erronea.

17. Et ratio est, quia minor: *Deus prohibet omne juramentum:* erat falso; neque enim Deus prohibet omne juramentum; imò est actus meritorius, si habeat tres circumstantias, seu comites: Prima est *Veritas*, sine quâ semper juramentum est peccatum mortale, etiam in materia levi. Neque in confessione oportet explicare, utrum juramentum falsum fuerit supra materiam levem, aut gravem; sicut neque, an fuerit per Deum, aut per creaturas: *promissorium*, quo scilicet juro me daturum librum Petro sine intentione implendi promissum: *assertorium*, quo affirmo aliquid præteritum, aut præsens: vel *execratorium*, quod etiam dicitur imprecatorium, quo jurans sibi imprecatur aliquod malum, cum dicit: *per vitam meam*, aut *per animam meam*, id est, perdat anima, aut destruat vita mea, si non est ita, sicut ego dico. Ita *P. Soar. lib. 1. de Jurament. cap. 12. num. 8.*

18. Advertes hæc, in juramento execratorio etiam

invocari Deum in testem; nam si quis juret: *Peream si hoc ita non est:* facit hunc sensum: *Deus me puniendo reſtetur, si falso:* Ita *P. Less. lib. 2. de Justit. cap. 42. dub. 2.* sicque in ratione juramenti non differt ab aliis, sed tantum petit punitionem, habeatque malitiam contra charitatem, si homo ex animo sibi optet ipsam punitionem. Ita *P. Less. cit.* Neque tamen opus erit interrogare poenitentem in Confessione, utrum optaverit sibi evenire illud malum, quod sibi imprecatus est; siquidem taliter peccantes raro sibi optant evenire, quod imprecantur. Ita *P. Sanch. lib. 3. decal. cap. 1. n. 7.*

19. Secunda circumstantia, seu comes juramenti, est *justitia*, consistitque in eo, quod non juretur res mala; ut si Confessarius juraret, se in confessione audivisse culpam gravem, licet hoc esset verum, graviter tamen peccaret in juramento ob defectum justitiæ. Tertia circumstantia, seu comes juramenti, est *judicium*, consistitque in eo, quòd juramentum sit necessarium, cui tamen si deficiat ista circumstantia, solùm erit peccatum veniale; sicut solùm veniale est juramentum committendi peccatum veniale: idemque de juramento rei indifferentis; siquidem res indifferens non est apta materia juramenti. Ita *P. Sanchez cit. cap. 4. num. 31. cum Armil. verb. perjurium. Sor. lib. 8. de Justit. quæst. 2. art. 3. Sayr. in clavi, lib. 5. cap. 4. num. 36.* Et idem affirmat de eo, qui jurat se facturum aliquid contra consilia Evangelica, ut se non futurum Religiosum, aut non daturum elemosynam, quando ad eam non tenetur. *cap. 4. num. 30.* Ex quibus patet, quod non in omnibus casibus prohibet Deus juramentum, & quod falsa erat propositio illa supra posita nempe: *Deus prohibet omne juramentum.*

20. Secundo modo potest applicatio scientiæ, sive principiorum esse mala, & conclusio, sive conscientia erronea, quando principia, licet sint vera, malè tamen applicantur, idèdque ex illis infertur consequentia, sive conscientia falsa, & erronea, ut si quis utatur his principiis, seu præmissis veris: *Quod Deus præcepit, semper est servandum; Sed Deus præcepit obediendum esse Prælati, etiam malis,* ut patet ex *1. Petr. cap. 1.* Ergo semper est illis obediendum: quæ conclusio est falsa, & erronea ex malâ applicatione; siquidem non debemus semper obedire Prælati, nempe quando mala præcipiunt.

21. Et ratio est, quia Prælati possunt aliquando præcipere nobis peccatum, nempe homicidium, aut furtum; sed tunc non tenemur, imò non possumus obedire juxta illud axioma juris: *Posse non dicimur, quæ honestè non possumus:* per text. in *l. Neos Proculo, ff. de verb. signif. & Surd. in consil. 203.* Unde Antigonus cum audiret à suis adulatoribus, Regibus licitum esse quiddam vellent præcipere, respondit, id verum esse inter Barbaros, ut refert *P. Fagun. lib. 8. decal. cap. 20. num. 339.* ergo in prædicto Syllogismo datur error ex mala applicatione principiorum, quæ licet sint vera, est tamen mala applicatio in minori, cum non debeat cuicumque præcepto applicari.

22. Hinc est, quod filii non tenentur parentibus obedire, quando peccata præcipiunt, licet sint sub eorum patriâ potestate, propter ætatem minorem, quæ computanda est à momento nativitatis, ut ex *Covar. & aliis docet Gratian. de benef. p. 7. cap. 4. num. 89.* contra *Gloss.* asserentem, quod ætas debeat computari à die conceptionis. Sic etiam poenitens non tenetur obedire Confessario contra propriam opinionem probabilem. Idem affirmat *Joan. Sanch. d. 33. n. 32.* de subdito, quoties habet opinionem probabilem, quod sit illicitum illud, quod à Prælato præcipitur.

SECTIO

## SECTIO II.

Qualis sit Conscientia erronea  
diviso?

33. **C**ONSCIENTIA erronea potest dupliciter dividi: Primò dividitur in Conscientiam erroneam juris: & in erroneam facti: Conscientia erronea juris, seu circa jus, tunc datur, quando homo practicè iudicat esse obligationem faciendi rem aliquam, cuius oppositum est determinatum per aliquam legem, ut si iudicet esse obligationem omitendi Missam eo die, & tempore, quo reverà tenebatur illam audire.

24. Hinc est, quod si Paulus per famulum mittat Petro pecunias ab eo mutuatas, & famulus illas Petro non tradat; Paulus autem existimet, se ulterius non teneri ad restitutionem, habebit Conscientiam erroneam juris, siquidem existimat, se non habere obligationem restituendi, cum tamen habeat, etiamsi famulus esset alioqui fidelis. Et ratio est, quia mutatio transfert dominium, consequenterque fecit rem esse Pauli; res autem domino suo perit. Aliter tamen erit de re commodatâ, cum enim commodatio dominium non transferat, si Paulus rem commodatam mitteret per nuntium, apud quem perit, non tenetur Paulus ad restitutionem ob eandem rationem. Ita P. Fagun. lib. 7. decal. cap. 18. num. 20. & 21.

35. Idem affirmat Dian. part. 2. resol. 2. tract. 17. de eo, qui Concessario tradidit pecunias restituendas, quas tamen non restituit, & ipse id postea scivit, dicit enim non teneri ulterius ad restitutionem; siquidem cum debitor non teneretur per se ipsum cum infamia restituere, quantum in se erat, fecit quod potuit, & creditor esset irrationabiliter invitus, si ad restitutionem hoc modo faciendam non consentiret. Oppositum tamen videtur probabilius, tenentque Navar. D. Antonin. Sylvius in. 2. d. Thom. q. 62. art. 6. Petr. Navar. lib. 4. cap. 5. dub. 1. num. 19. & alii, quia creditor non debet damnari pati ob debitoris delictum; ergo res ex delicto debita, antequam ad creditorem perveniat, ipsi debitori perit; consequenterque tenetur ad restitutionem. Vide P. Rebel. de Justit. part. 1. lib. 2. q. 13. sect. 3. P. Mol. tomo 2. de Just. tract. 2. d. 296. P. Azor. part. 3. lib. 4. cap. 33. P. Less. lib. 2. cap. 16. dub. 6. n. 65, qui contrariam sententiam dicit etiam probabilem num. 67. sine, juxta quam idem affirmat Dian. p. 10. tract. 16. resol. 97. de eo, qui vovit mittere calicem aureum ad certum devotionis templum, quem tamen latrones in itinere rapuerunt.

26. Conscientia erronea facti, seu circa factum, tunc datur, quando homo iudicat de aliqua actione humana aliter, ac illa est, ut si Petrus iudicet invincibiliter, se solvisse tributum iustum, quod tamen non solvit, cum revera ad illius solutionem teneretur, ut cum communiori teneri docent Vega sum. part. 1. cap. 15. cas. 13. Rodrig. sum. p. 2. cap. 76. n. 3. Grass. p. 1. lib. 2. cap. 125. n. 93. P. Sal. de legib. d. 15. sect. 16. n. 116. P. Soar. lib. 5. de legib. cap. 18. num. 6. P. Sanchez lib. 6. decal. cap. 4. n. 52. P. Vasq. in 1. 2. d. 159. cap. 3. P. Less. lib. de Just. cap. 33. dub. 8. num. 56. Quamvis Dian. part. 1. tract. 10. resol. 19. citans P. Less. Bonac. Angel. Navar. Beja, Duardum doceat, probabile esse, quod non peccent, qui huiusmodi tributa iuste imposita non solvant, nec ad restitutionem faciendam teneri, quod nos non admittimus.

27. Secundò dividitur Conscientia erronea, divisione magis utili, & necessariâ, in Conscientiam erroneam invincibiliter, id est, inculpabiliter; & in Conscientiam erroneam vincibiliter, hoc est culpabiliter: quo etiam modo solent Doctores dividere ignorantiam; & quidem divisio ignorantia explicat hanc divisionem Conscientia erronea; sicque quod de unâ dixerimus, intelligendum est etiam de alia, nam res eadem non debet diverso jure cenferi ex l. Eum, qui ades, ff. de usucap. & Surd. consil. 185. n. 7.

28. Præsertim, quia Conscientia erronea etiam dicitur ignorantia, error enim dicitur: Ignorantia prava dispositionis: nam ignorantia dividitur in positivam, quæ etiam dicitur prava dispositionis, consistitque in eo, quod Petrus, non solum rem ignoret, sed etiam habeat actum positivum contrarium erroneum: & in negativam, quæ tunc datur, quando Petrus neque habet scientiam, neque errorem contrarium, sicque licet non erret, non tamen scit rem. Ita P. Arr. de actib. human. d. 12. num. 13. Patet in Sacerdote non approbato, qui ignorans esse peccatum audire Confessiones extra casum necessitatis, dicitur habere ignorantiam negativam: si tamen affirmet, & dicat: Non pecco audiendo confessiones: tunc habet ignorantiam positivam, seu pravæ dispositionis; siquidem ad hoc requiritur facultas, & approbatio; quæ tamen, licet sit delegata, non expirat morte concedentis; cum non sit iurisdictio contentiosa; expirat autem finito tempore, pro quo concessa est, nisi sit incepta Confessio. Vide Ioan. Sanchez. d. 44. n. 6 & d. 48. n. 19. Igitur.

29. Conscientia erronea invincibilis datur quando, & quamdiu homo habet errorem, quem non potest vitare, seu expellere, quod dupliciter potest contingere. Primo, quando homini non venit in mentem se errare, ut cum homini rustico inter hæreticos viventi (ut vivunt hic in Angliâ,) nunquam venit in mentem dubium ullum de sua secta; sicque excusatur à culpa: sicut etiam multos fideles excusat à culpa ignorantia invincibilis mysteriorum fidei. Ita Ioan. Sanchez. d. 19. num. 4. Secundo modo potest contingere, non posse hominem expellere errorem, sicque laborare ignorantia invincibili, quando, licet dubitaverit, aut suspicionem habuerit de errore, fecit tamen quantum in se fuit, & potuit, ut veritatem assequeretur, quam tamen assequi non potuit: ut si hæreticus dubitans de sua secta Doctores suos consuleret, qui eum confirmarent, nec haberet alios, quos interrogaret. Ita P. Azor. cit. d. 12. n. 11.

30. Inferes: Ergo si homo tenetur facere quantum in se est ad expellendum errorem, de quo dubitat, tenebitur discurrere per totam Europam ad consulendos homines doctos, orare, jejunare, petere illuminationem à Deo, & similia, quæ omnia potest facere; sed hominem obligare ad hæc omnia, esset intolerabile; ergo non tenetur homo facere quantum in se est ad expellendum errorem, seu ignorantiam illam. Respondeo negando illationem; solum enim tenetur homo facere, quæ sufficienti, ut formetur iudicium probabile de ea re, de qua dubitat.

31. Hinc est, quod si Petrus dubitat, an hodie sit impositum præceptum jejunii, non tenetur immediatè adire Pontificem, aut Episcopum, etiamsi possit; sed sufficit, si interroget Parochum, aut Concionatorem, aut unam, vel alteram personam doctam, quæ deberet scire rem illam, quæ personæ, si respondeant, non esse præceptum, etiamsi reverà decipiantur, error, & ignorantia hominis interrogantis erit invincibilis, eamque excusabit à culpa

culpâ. Ita *P. Arr. cit. proximè*. Idem erit si Petrus dubitet, utrùm hoc, aut illud sit peccatum, & interroget duos, aut tres Doctores, qui respondent non esse: tunc enim Petrus non tenetur omnes interrogare, cum illi sufficiant, si sint boni nominis, & doctrinæ, ut Petrus formet iudicium probabile, etiam si ipsa postea erret, sicque in aliis casibus,

32. Advertes tamen, attendendum esse ad materiam, in quâ est dubium; nam si materia sit levis, minor diligentia sufficit; ut si quis dubitaret: An extra Chorum teneretur recitare preces feriales flexis genibus juxta Rubricam? Ad quod negativè respondet *P. Comitol. lib. 1. quæst. 64.* Similiter si Petrus putaret sibilicere (quod illicitum dicit *P. Comitol. lib. 4. quæst. 5.*) pacisci cum amico moribundo, ut post mortem ad eum veniat, ut eum de suo statu certiorer faceret, erraret Petrus, qui si tunc inciperet formidare, an erraverit, satis erit unum, vel alterum Doctorem consulere: cui etiam, si putaret, se teneri solvere pecuniam perditam in ludo ad creditum, sufficeret, si consuleret virum doctum, qui doctè responderet, liberando Petrum à tali obligatione secundum jus cõmune, imò & particulare Castellæ, cujus leges disponunt, non obligari solvere, qui sic perdidit, etiam in ludolcito; ex quibus legibus potest etiam fieri argumentum, ut idem dicamus in Regno nostro Lusitanæ, cujus Ordinationes nihil in hoc disponunt, quæ omnia docet, & probat *P. Fragoz. 1. p. lib. 2. d. 4. n. 303. cum Navar. in manual. cap. 20. num. 17. Covar. regul. peccatum, p. 2. §. 4. n. 8. Ludov. Lopez. 2. p. instruct. cap. 34. & lib. de contract. cap. 12. P. Molin. d. 515. vers. quarta conclus. Aragon. Gutier. Medin. & aliis.*

33. Si verò materia, circa quam est dubium, aut formido, sit valdè gravis, oportebit adhibere majorem diligentiam. Undè si hæreticus habens errorem in fide incipiat dubitare, & judicet suos Doctores esse suspectos in eo puncto, non sufficit eos consulere, sed debet alios quærere, & alia media adhibere. Idem dicendum de Sacerdote consecrato in Episcopum, & non habente Diaconatum, qui postea per errorem putaret, se posse aliis conferre prædictum ordinem, cum tamen non posset, ut docet *P. Sanch. lib. 7. consil. cap. 1. dub. 14. & lib. 3. de Matrim. d. 22. num. 35.* quia nemo dat, quod non habet ex *l. Traditio. ff. de acquir. rer. domin. & Surd. consil. 50. n. 29.* Si enim incipiat dubitare, tenetur adhibere majorem diligentiam, ut sciat, si possit talem ordinem conferre; cujus tamen collatio est irrita; licet talis non sit illa, quâ Episcopus conferret Sacerdotium ei, cui Pontifex contulerat Diaconatum, cum tamen sit illicita; siquidem accipiens à Pontifice ordines inferiores non potest absque ejus licentia ad majores promoveri per Episcopum, ut ex *cap. Cum in distribuendis, de tempor. ordin. tenet P. Sanch. lib. 7. consil. cap. 1. dub. 20. n. 28.*

34. Conscientia erronea vincibilis, ut ex dictis facile colligitur, tunc datur, quando homo incipit formidare: utrùm erret, vel non erret? potestque facere diligentiam, quam tamen non facit; & tamdiu durabit, quamdiu duraverit formido simul & potestas expellendi talem formidinem; nam si durent conscientia erronea, & formido, & homo jam non sit in potestate faciendi diligentiam, tunc illa conscientia non erit erronea vincibiliter, sed invincibiliter. Ita *P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 11. n. 12.*

35. Hinc est, quod si Calvinista vivens inter Catholicos habeat errorem, quod sua secta esset vera, & incipiens formidare, noluit interrogare; postea

autem captus à Mauris non habet, quem possit consulere, etiam si velit, circa hanc materiam, cum antea inter Catholicos haberet Conscientiam erroneam vincibilem, postea jam inter Mauros vivens, solum habet Conscientiam erroneam invincibilem; sicque in aliis casibus.

## SECTIO III.

## Utrùm Conscientia invincibiliter erronea obliget?

36. **I**AM ex supra dictis num. 1. & 2. constat quid sit Conscientia erronea: & ex dictis num. 29. quid sit Conscientia erronea invincibiliter etiam constat. Quæstio igitur in titulo proposita inquiri: Utrùm hujusmodi Conscientia invincibiliter erronea obliget? Quæ etiam sub aliis terminis excitari solet, nempe utrùm homo peccet operando contra conscientiam erroneam? Utrùm homo teneatur sequi conscientiam erroneam? Utrùm homini liceat à conscientia erronea discordare? Quæ omnes interrogationes eundem sensum faciunt. His positis.

37. Prima sententia absolute negat, Conscientiam invincibiliter erroneam inducere obligationem: hanc sententiam refert *D. Thom. 1. 2. q. 19. art. 6. & Gloss. in cap. Omnes, 28. q. 1. §. Ex his, & à quibusdam tribuitur. Alens. 2. p. q. 120. memb. 3. art. 1. cum tamen eam reverà non docuerit, ut ait *P. Vasq. 1. 2. d. 59. cap. 2. n. 6.* Secunda sententia negat obligare; concedit tamen ligare. Ita *Duran. in 2. dist. 39. q. 5.**

38. Tertia sententia utitur distinctione: potest enim, inquit, Conscientia erronea proponere obligationem, quæ in re non est, quamvis in illa non sit prohibitio, ut quando rem indifferentem, aut honestam, quæ solum est sub consilio, proponit ut præceptam, & necessariam; & tunc dicitur obligare; siquidem nulla est major vis, quæ possit talem obligationem impedire. Aliquando verò potest conscientia proponere ut obligatoriam rem pravam, seu prohibitam, & tunc dicitur non obligare, quia non potest habere vim contra legem superiorem, neque fieri potest, ut conscientia obliget ad malum; dicitur tamen ligare, itaut sive contra, sive juxta eam faciamus, semper peccemus; hoc enim dicunt esse ligari, & non obligari, ut ille dicatur ligatus, qui sive juxta, sive contra conscientiam agat, peccat: ille verò dicitur non obligatus, qui licet facere non possit, nec debeat contra conscientiam errantem; nullâ tamen lege, & jure cogitur eam sequi; siquidem cuique licet eam relinquere. Ita *Durand. in 2. dist. 39. q. 5. n. 7. Gregor. ibidem q. 1. art. 2. Almain. tract. 1. moral. cap. 5. Alens. part. 2. quæst. 120. memb. 3. art. 1. apud P. Azor. lib. 2. cap. 8. q. 8. ubi etiam citat D. Thom. 1. 2. quæst. 19. art. 1.*

39. Quarta sententia, quam sequimur, affirmat, Conscientiam invincibiliter erroneam ligare, & obligare. Ita *D. Thom. 1. 2. quæst. 19. art. 5. & ibi Receptiores Thomistæ. Alens. 2. p. q. 12. memb. 30. a. 1. D. Bonar. in 2. dist. 39. a. 1. p. 3. Richar. a. 2. q. 3. Duran. q. 5. Gabr. quæst. unica, art. 3. dub. 3. Greg. q. unica, art. 2. Major. q. unica. Ocham in 3. q. 13. Almain. tract. 1. moral. cap. 5. D. Antonin. 1. p. tit. 3. cap. 10. §. 4. Adrian. quodlib. 2. in 3. pun. solut. 5. Cordub. lib. 3. q. 4. quos citat, & sequitur *P. Vasq. 1. 2. d. 59. cap. 2. n. 7. qui oppositum dicit hæreticum: tenent P. Soar. 1. 2. d. 12. sect. 4. num. 6. P. Valent. d. 2. quæst. 14. punct. 4. P. Azor. lib. 2. quæst. 3. P. Becan. tract. 1. cap. 4. quæst. 7. num. 5. P. Sanchez lib. 1. decal.**

decal. cap. 11. num. 2. qui etiam dicit, eam esse de fide. P. Pal. tomo 1. d. 1. punct. 2. n. 2. P. Sal. 1. 2. tr. 8. d. unicâ, sect. 3. num. 16. sine, ubi oppositum dicit temerarium, & periculosum.

40. Probatur primò authoritate Scripturæ Rom. 14. ibi num. 14. Scio, & confido in Domino *quæ* *quia* nihil commune per ipsum, nisi ei, qui existimat, quid commune esse, illi commune est. ubi loquitur de cibis prohibitis in lege Moysis, quæ cum cessaverit, dicit D. Paulus nullum cibum manere immundum, & communem, idest, prohibitum, sed communem, & prohibitum esse ei, qui existimat esse prohibitum, quia scilicet Conscientiâ errantem ducitur. Et infra num. 23. Qui autem discernit, ait, si manducaverit, damnatus est: quia non ex fide: Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est: ubi nomine fidei intelligitur Conscientia juxta Origen. D. Chrysof. D. Ansel. Theophil. & Theodoret. apud P. Valsq. cir. num. 8. & nos supra diximus, & dicit Apostolus, cum qui discernit, idest, judicat, & putat, quosdam cibos esse communes, & prohibitos, quosdam autem non, peccare, si eis vescatur, redditque rationem, quia omne, quod non est ex fide, idest, non concordat conscientiæ judicio, peccatum est. Confirmatur ex illo ad Gal. 5. 3. ibi: Testificor autem omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ. Quibus verbis, cum Circumcisio esset perfectio legis veteris, sicut modò Baptismus legis gratiæ, infert Apostolus, eos, qui circumcissionem necessariam existimabant, obligari ad observandam totam legem, quam obligationem eis indicit propter eorum conscientiam erroneam.

41. Probatur secundò authoritate D. Bern. lib. de præcept. & dispens. ubi eandem sententiam, quam ex D. Paulo probavimus, latè prosequitur, & est expressa in cap. Inquisitioni, de sentent. excommunic. cap. Libertas, de restitut. spoliat. & cap. ult. de præscription. ubi damnatur crimine, qui agit contra conscientiam.

42. Probatur tertio rationibus: Prima, quia objectum non movet voluntatem, cum sit potentia cœca, sicque indigens dirigente, & gubernante, nisi prout proponitur ab intellectu; ergo si faciendò, quod in se est, prout ad conscientiam invincibiliter erroneam requiritur, adhuc judicat aliquid esse præceptum, & malum, quod tamen neque præceptum, neque malum est, illudque proponit voluntati amandum, aut non amandum, voluntas ipsa obligatur ex vi talis judicii, cui si non conformetur peccabit. Confirmatur à priori, quia conscientia est immediata regula actionum humanarum, ideoque voluntas debet ei, ut suæ regulæ, conformari; ergo si ei non conformatur, deflectit à sua regulæ; consequenterque peccat; ergo eam sequi tenetur.

43. Secunda, quia homo non potest bene agere operando contra talem conscientiam actu existentem; siquidem temerè operaretur, & liberè vellet id, quod sub ratione mali proponitur, sicque talis volitio non esset bona; sed neque potest illam deponere; alioqui jam non foret conscientia invincibiliter errans; ergo hæc obligat.

44. Tertia, quia actus non censetur peccatum præcisè ex eo, quod sit contra aliquam legem, aut præceptum, prout in se sunt; alioqui si ignoraret legem, aut præceptum invincibiliter, peccaret, quia adhuc ageret contra illa prout in se sunt; sed ex eo, quod talis actus formaliter sit transgressio, idest, quod liberè fiat id, quod judicatur esse contra præceptum, aut legem; atqui etiam ille, qui operatur contra conscientiam erroneam, liberè

Tom. 2.

facit id, quod agnoscat esse contra præceptum, aut legem; ergo peccat; consequenterque conscientia erronea obligat.

Quarta, quia ex D. Damascen. Conscientia est lux nostri intellectus; sed facere contra conscientiam est peccatum; ergo etiam facere contra conscientiam quomodocumque, & erroneam. Confirmatur primò, quia ex præcepto quis ligatur, & obligatur; sed hoc, quod conscientia dicitur, est præceptum; ergo licet sit erronea, ligat, & obligat. Secundò, quia si lex aliqua promulgaretur ut regia, quæ reverè talis non esset, & aliquis eam violaret, proinde esset legis transgressor, ac si veram Regis legem contemneret; ergo similiter si quis per errorem invincibilem putet mentiri ad liberandum innocentem esse legem Dei, & non mentiatur, legem Dei transgredietur; ergo talis lex obligat.

Advertes hinc primò, hujusmodi quæstionem supponere conservari libertatem cum conscientia invincibiliter erronea, ita ut actio, vel omisso sit libera. Unde si quis in carcere detentus, in quo non est sacrum, putaret, se peccare illud non audiendo, minimè peccaret: sicut etiam non peccaret, qui manu violentè ab aliis motà hominem occideret, etsi erraverit existimando, se peccare; siquidem non datur peccatum absque libertate, quæ in his casibus non daretur.

Advertes secundò, non esse audiendos aliquos, qui apud Lorcam d. 37. memb. 2. §. Sed argumentorum, concedunt, conscientiam erroneam obligare, ne contra eam operentur; negant tamen obligare, ut eam sequamur, aut juxta eam operemur; dicuntque obligationem esse, ut eam deponamus, ne secundum illam agamus. In hoc enim falluntur: Primò, quia conscientia erronea invincibilis, ut modò supponimus, deponi non potest; ergo non tenetur homo illam deponere; siquidem obligatio, & præceptum non est de impossibili; ergo si non potest ab ea dissentiri, debet ei conformari. Secundò, quia in eo, quod homo suam operationem conformet cum conscientia invincibiliter erronea, nullum datur inconveniens; siquidem illius malitia non potest homini imputari propter ignorantiam invincibilem; ergo absque inconveniente potest voluntas juxta illam agere. Unde fortasse hi Doctores loquuntur de ignorantia vincibili, de qua infra. Adhuc tamen.

Argues 1. Si Conscientia errans obligaret, aut obligaret ratione legis, quam applicat; aut ratione acceptationis: Non primum, quia reverè non applicat legem, cum non detur: Non secundum, quia acceptatio pendet ex voluntate hominis, qui suo arbitrio potest illam non acceptare, sed deponere; ergo conscientia erronea non obligat. Respondeo negando minorem quoad primam partem; Conscientia enim errans obligat ex vi legis, quam applicat; non quia in re datur, sed quia dari existimat, quod sufficit ad obligandum.

Argues 2. Si quis ex conscientia erronea putaret esse peccatum Deum diligere super omnia, & hujusmodi actum eliceret, non peccaret; siquidem amor Dei super omnia non admittit secum ullum peccatum; imò per illum justificatur homo, sicut per contritionem, quam tenetur elicere in articulo mortis, si non possit confiteri, non autem si possit; tunc enim sufficit attritio, ut docet communis sententia apud Bonac. de Peniten. d. 5. quæst. 5. punct. 2. ergo jam quis potest operari contra Conscientiam erroneam, quin peccet.

Respondeo impossibile esse, quod aliquis per errorem existimet esse peccatum mortale diligere Deum

E

Deum

Deum super omnia; siquidem eò ipsò, quod quis putat aliquid esse peccatum mortale, putat etiam esse contra voluntatem Dei; sicque faciendo illud, non potest eodem affectu diligere Deum super omnia; hic enim amor ita tendit in Deum propter suam bonitatem, ut non possit simul idem affectus esse amor, & offensã Dei. Quod si talis suppositio admittatur, actus tunc elicited non erit amor Dei super omnia, neque homo possit elicere talem amorem, qui dicitur Contritio virtualis, & involvit hoc, quod est velle tantum, quod Deus vult, & detestari, quod Deus non vult, præsertim peccatum, sicque repugnat positivè credere, hunc actum esse offensam Dei, & per illum amare Deum super omnia. Ita *P. Bard. cit.*

51. Inferes: Ergo qui invincibiliter putaret, se teneri Deum odio habere, non peccaret eliciendo tale odium Dei. Respondeo concedendo illationem: non foret tamen illud odium meritorium, quia esset actus naturalis, ut autem actus sit meritorius, debet esse supernaturalis, ut suo loco dicemus: sicut etiam fieri ab homine viatore, seu in hac vita degente. Unde animæ Purgatorii (idemque de Beatis, inò & de Christo Domino) non possunt mereri, licet possint pro nobis orare, & impetrare. Ita *P. Soar. tom. 2. de Grat. lib. 12. cap. 32.* Neque obstat quod *D. Thom. & Abulens.* apud *Laram de Capellis lib. 1. cap. 1.* doceant, animas Purgatorii non esse in statu orandi: non, inquam, obstat, intelligendi enim sunt meritorie; siquidem in re orant inprimis pro se; nam charitas bene ordinata incipit à se ipsã per text. in *l. Præles, C. de servit. & aqua.* Deinde specialiter pro illis, qui sibi chari fuerunt, ut docet *Lara cit.*

52. Urgebis: Homo potest existimare se per odium mereri; ergo talis actus erit meritorius, Respondeo negando consequentiam: neque enim talis existimatio facit, quod actus sit talis, qualis requiritur ad meritum: sicut qui existimat se habere contritionem, aut attritionem, non ideò illam habet; alioqui manebit absolutus cum solã contritione, vel attritione putatã: & qui confiteretur simplici Sacerdoti, existimans eum approbatum, maneret confessus, & absolutus, cum tamen non maneat, etiam si foret inter Turcas extra mortis periculum; licet hoc ultimum doceat *Beja 3. part. cas. 2.* dum caret spe probabili habendi proprium Confessarium, apud *Bonacin. d. 5. de Penitent. quest. 7. punct. 4. §. 1. num. 3.*

53. Argues 3. Id, quod dicitur Conscientia erronea, aliquando est peccatum; ergo si obligaret, ad peccatum obligaret. Respondeo distinguendo consequens: ad peccatum obligaret formaliter, id est, ad malum quã malum; nego consequentiam: materialiter, id est, ad malum sub ratione boni; concedo consequentiam: Undè si quid malitiæ videtur reperiri in actu externo est tantum materialiter, & ut est quoddam objectum materiale; non verò formaliter, & quatenus est actio humana.

54. Argues 4. Lex inferioris non potest obligare contra legem superioris; siquidem hujus præceptum non potest tollere inferior ex *cap. Cum inferior, de Majoritat. & Obedient. & Surd. consil. 59. num. 6.* Sed conscientia est Deo inferior; ergo nunquam potest obligare contra legem Dei. Respondeo majorem esse veram, quando præceptum superioris cognoscitur ab inferiori; non autem quando ignoratur, sic enim potest obligare, non per se, sed per accidens. Præsertim quando inferior putaret suum præceptum esse præceptum superioris, ut putat Conscientia erronea, quatenus putat, se obe-

dire Deo, & legi naturali, quæ etiam est Dei lex, cum Deus ei præstet auctoritatem, & sic suam faciat; nam omnia nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impartimur ex *cap. Si Apostolica, de Prebend. in 6.*

Instabis: Conscientia erronea sæpè dicitur contra legem Dei, & naturæ; sed nulla lex Dei, aut naturæ potest nos obligare, ut operemur contra legem Dei, aut naturæ; alioqui inter leges Dei, aut naturæ daretur oppositio; ergo nulla lex Dei, aut naturæ præcipit, ut sequamur conscientiam erroneam; cum non appareat unde talis obligatio oriatur; neque enim dici potest, quod oriatur ex ipsã conscientia, quæ etiam est lex Dei, aut naturæ; alioqui ponitur contrarietas inter leges Dei, & naturæ, cum hæc lex aliis Dei, & naturæ legibus adversetur.

Respondeo interveniente ignorantia, posse legem Dei, & naturæ nos obligare, ut operemur contra aliam legem Dei, & naturæ; neque ex hoc sequitur inter leges à Deo datas immediatè, dari oppositionem: licet inter latas præviã ratione, quæ potest habere contraria judicia practica, & sic ferre leges contrarias inter se, illaque possunt esse materialiter contrariæ alicui legi Dei, formaliter tamen erunt conformes, quatenus dicunt, tale aut tale quid faciendum esse, quia bonum necessarium, & obligatorium est: & similiter erunt conformes generali legi, quæ præcipit obediendum conscientia. Undè est, quod obligatio, quam affert conscientia erronea, provenit radicaliter à lege æternã, licet proximè sit à conscientia, quatenus in illa repræsentatur, etiam si per falsam existimationem, lex naturalis, vel divina, aut humana. Itaque quavis lex æterna directè, per se, & absolute præcipiat non mentiri, per accidens tamen præcipit mendacium ex suppositione, quod operans putet invincibiliter hoc præcipere legem æternam; siquidem voluntas Dei est, ut sua lex, etiam si non vera, si tamen existimata, non contemnatur, neque ei, quantum est in operante, fiat injuria.

Argues 5. Si conscientia erronea prout sic obligaret, sequeretur, posse Deum inclinare hominem ad mendacium mediante habitu fidei; sed consequens est falsum; ergo & antecedens. Probatur sequela, quia Deus mediante dictamine practico obligat hominem ad mendacium; ergo etiam id poterit efficere mediante habitu fidei; non enim datur major ratio. Circa hoc argumentum vide *P. Sal. cit. num. 37.*

Respondeo tamen negando sequelam; diversa ratio est, quia si Deus inclinaret ad mendacium mediante habitu fidei, jam Deus foret causa falsitatis; siquidem cum habitus fidei sit effectus per se respectu Dei, si Deus illo mediante inclinaret ad falsum, esset Deus causa falsitatis per se, quod dici non potest: at verò non repugnat, quod, suppositã conscientia erronea, Deus obliget ad mendacium, cum ad id solùm obliget per accidens; siquidem tunc non obligat ad mendacium directè, sed ad actum virtutis: neque conscientia erronea tunc Deo tribuitur, sicut tribueretur habitus fidei; & si habitus fidei aliquando concurrat ad falsum, id non est per se, sed per accidens ex applicatione operantis.

Instabis: Deus potest movere ad omnia licite; & si conscientia erronea, licitum est mentiri; Deus potest movere ad mendacium. Respondeo Deum non posse per se movere ad omnia licite, quando in opere aliunde licito est aliqua falsitas, aut malitia intrinseca; posse verò per accidens; siquidem tunc mendacium nõ est cognitum formaliter, quã

quâ malum est; sic enim cognitum prohibetur à Deo.

60. Argues 6. Conclusio ex unâ de fide, & alterâ falsâ non est de fide; sed iudicium erroneum, sive Conscientiâ, deducitur ex unâ præmissâ cognitâ lumine naturali per synderesim, & ex alterâ falsâ, ut patet in hoc Syllogismo. Obediendum est divinæ legi; sed lex divina jubet mentiri ad liberandum innocentem; ergo ei obediendum est; ubi minor est falsâ; ergo falsâ est etiam conclusio, sive conscientiâ; consequenterque non habet vim obligandi.

61. Respondeo verum quidem esse ex unâ de fide, & alterâ falsâ non sequi conclusionem de fide: sicut etiam ex unâ scientificâ, & alterâ erroneâ non sequitur conclusio scientifica. Ex hoc tamen non infertur, quod conclusio erronea deducta lumine naturali per synderesim, & per alteram falsam non obliget. Et ratio est, quia quando in antecedente datur falsitas in aliquâ ex præmissis, totum antecedens simpliciter est falsum propter connexionem termini cum majori, & minori extremo, ut docent Dialectici; quando autem antecedens est falsum, non potest conclusio esse de fide, neque scientifica, sed falsâ, & erronea, ut patet; siquidem præmissa de fide, & scientifica tunc non concurrunt ut tales formaliter, sed tantum materialiter, impediturque earum influxus per præmissam falsam, & erroneam: at verò quando in antecedente datur præmissa erronea, hæc non impedit obligationem; imò est principium illius; siquidem obligatio non solum oritur ex lege, aut præcepto, quando reverâ dantur à parte rei, sed etiam quando existimantur dari.

62. Argues 7. Si quis occidat laicum putans per errorem esse Clericum, non peccat contra religionem; alioqui incurreret excommunicationem, quod non conceditur; ergo conscientia erronea non obligat; alioqui talis homo peccaret contra religionem. Respondeo negando antecedens quoad primam partem: talis enim occisor laici putans per errorem occidere Clericum, peccaret contra religionem; non tamen incurreret excommunicationem contra occisorem Clerici, quia hæc non imponitur, nisi illis, qui in re ipsâ percutiunt Clericum, non verò qui percutiunt laicum putatum Clericum.

63. Argues 8. Facere contra conscientiam erroneam non est peccatum; siquidem ex *D. August. lib. 22. contra Faustum cap. 27.* Peccatum est dicitur, factum, vel concupitum contra legem Dei; quod autem conscientia erronea dicitur non est lex Dei; ergo agere contra illam non est peccatum; consequenterque non obligat. Respondeo primò, id, quod fit contra conscientiam erroneam, fieri contra legem Dei, quæ præcipit, ut nihil mali committatur; respectu autem illius, qui habet conscientiam erroneam, simpliciter est malum id, quod tanquam malum apprehenditur. Respondeo secundò cum aliis, id, quod fit contra conscientiam erroneam, fieri contra legem Divinam, saltem existimatam, quod sufficit ad peccatum. Huiusmodi autem rationes parum, aut nihil differunt inter se.

Tom. 2.

## SECTIO IV.

## Solvuntur aliqua argumenta, &amp; dubia circa præcedentem doctrinam.



64. OBJECIES 1. Si doctrina hæc tenens tradita esset vera, sequeretur, si quis invincibiliter existimaret, se esse verum Sacerdotem, & talis communiter putaretur, validè absolvere, etsi verus Sacerdos non sit: similiter manere verè absolutum, qui per conscientiam etiam invincibiliter erroneam putaret, se habere contritionem, aut attritionem, cum tamen non habeat; sed hæc non sunt dicenda; ergo neque illud, ex quo sequuntur.

65. Respondeo negando sequelam contra Ripam *tr. de remediis ad curandam pestem, §. Sed quia, num. 45. & 46. Franciscum Vivium quem refert, & sequitur Anton. Gabr. tom. 1. commun. lib. 3. verb. Confiteri, & Mascard. de Probation. conclus. 649. apud P. Sanchez lib. 3. de Matr. d. 22. num. 21.* quoties enim impedimentum est juris divini, ut est in prædictis casibus, nunquam potest suppleri per communem errorem. Unde falsum est, quod ex *l. Barbarius, ff. de officio Prætoris, infert Jason ibi num. 64.* validos esse actus factos per Pontificem inhabilem, qualis esset scæmina putata vir, si eligeretur in summum Pontificem, ut falsò accidisse nobis objiciunt hæretici asserentes Joan. VIII. fuisse scæminam, quos falsitatis convincit eruditissimè, ut assolet *P. Bellar. lib. 3. de sum. Pontif. cap. 24.*

66. Instabis: Collatio Beneficii facta excommunicatione, etiam tolerato, est irrita per text. in *cap. Postulastis, de Cler. excommunic. ministr. & docet P. Soar. de Cens. d. 13. sect. 1.* consequenterque non esset verus Parochus ille, cui conferretur beneficium parochiale, tempore quo erat excommunicatus; & tamen hic posset verè absolvere, si per communem errorem putaretur verus Parochus; ergo sic etiam posset verè absolvere, qui ex conscientia erronea, & communi errore putaretur verus Sacerdos, licet talis non esset. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia defectus ordinis est impedimentum de jure Divino, quod Ecclesia, etiam si velit, non potest supplere: at verò excommunicatio est impedimentum de jure humano, quod Ecclesia supplere potest, & de facto supplet conferendo jurisdictionem, quando per communem errorem aliquis existimatur verus Parochus, cum tamen non sit, quia scilicet habuit huiusmodi impedimentum ad obtinendum beneficium.

67. Notabis hic primò, prædictam doctrinam esse veram, non solum in Parocho, & Judice Ecclesiastico, sed etiam in seculari ex *l. Barbarius cit. ff. de officio Prætor. Ubi decernitur, valida fuisse omnia, quæ gessit quidam Prætor, qui communi errore existimabatur verus Prætor, cum tamen non esset, ut potè qui erat servus; servi autem de jure civili pro nullis habentur ex Regul. Quod attrinet, 32. ff. de regul. jur. Utrumque tamen jus, tam canonicum, quam civile dat prædictam jurisdictionem huiusmodi iudicibus, qui per communem errorem tales existimantur, ut ex dicta *l. Barbarius, & cap. Infamis, 3. q. 7. vers. Veruntamen, asserunt Doctores, quos citat, & sequitur P. Sanch. de Matr. d. 22. num. 5. 15. 30. & 31.**

68. Secundò, huiusmodi doctrinam esse certam, etiam

E 2

etiam

etiam quando tales iudices carent legitimo, & vero titulo, habent tamen titulum putativum, & coloratum, qui tunc datur, quando legitimus superior contulit jurisdictionem; collatio tamen fuit nulla ob aliquod impedimentum occultum, nempe excommunicationem: aut quando Rex creavit iudicem hominem servum, aut minorem viginti quinque annis, qui habent impedimenta ad officia publica, ad quae specialiter non possunt admitti qui non habent viginti quinque annos juxta leges Lusitanas lib. 1. tit. 93. initio. ibi: Nam passando de idade de vinte, e cinco annos: Ubi loquitur de officiis publicis gubernationis Civitatum. Quod tamen limitant *Azeved. ad Curiam Pisan. lib. 1. cap. 12. & Avend. de exequend. mandar. part. 1. cap. 19. n. 16.* in parvis oppidis, ubi fuerit hominum penuria, tunc enim minores poterunt eligi ad officia publica. Vide *P. Fragos. tom. 1. lib. 7. d. 21. num. 2.*

69. Tertiò, sententiam iudicis, imò & absolutionem sacramentalem datam per quemlibet iudicem, aut sacerdotem, qui alibi, nempe Romæ, est excommunicatus vitandus, non ita tamen Londini, ubi est iudex, & communiter non existimatur vitandus; aut si aliquando ibi fuit etiam vitandus, nemo tamen de tali excommunicatione recordatur, esse validam; siquidem prout sic habet titulum coloratum; hic autem, dum adest communis error, confert jurisdictionem; sicque possunt tales iudices proferre sententias, alios excommunicare, & absolvere. Ita *P. Sanchez de Matrim. lib. 3. d. 22. numer. 33. & 34.*

70. Quartò, hoc ipsum tenendum etiam in iudice delegato ad unam tantum causam: imò etiam si scriptum sit subreptitum, quia scilicet Petrus factus fuit iudex delegatus à Papà allegando causas falsas; siquidem adhuc tunc datur communis error, & auctoritas superioris, etiam casu, quo hic quando concessit commissionem illam esset privatus officio, dummodo talis communiter non putaretur; sic enim si quis crearetur Pontifex habens impedimentum de solo jure humano, ob quod electio foret nulla, quia scilicet fuit simoniaca, ut docet *P. Less. lib. 2. de just. cap. 35. dub. 25. num. 145. ex cap. Si pecunia, dist. 79. & ex Concil. Later. sess. 5. validos efficeret actus, si adest communis error.* Ita *P. Sanch. lib. 3. de Matr. d. 22. n. 28.*

71. Quintò, si Pontifex incideret in hæresim, in quo casu statim jure divino manet depositus, adhuc per illum gesta valere; siquidem adhuc datur communis error, & titulus; licet non posset tunc definire infallibiliter res de fide, quia hæc potestas solùm est in vero Pontifice, Ecclesiâ universali, & generali Concilio. Etiam si *P. Less. lib. 2. de just. cap. 35. dub. 25. num. 146.* contrarium dicat, dum asserit, Pontificem simoniacè electum habendum esse ab Ecclesiâ pro Pontifice ex cap. Licet, de election. talemque ratione tituli colorati, & communis erroris habere in suis definitionibus infallibilem auctoritatem, Deo illi ob commune bonum Ecclesiæ assistente. Quod tamen negat *P. Sanchez cit. n. 28.* ei tantum concedens jurisdictionem extra definitiones de fide, quam haberet delegatam ab Ecclesiâ; sicut illam habet Vicarius Pontificis ab Ecclesiâ sede vacante; licet enim Ecclesiâ non sit supra Pontificem verum, esset tamen supra istum Pontificem. Similiter valerent etiam gesta, & absolutio sacramentalis per habentes titulum, quem tamen amiserunt ipso jure, aut superior occultè revocavit.

72. Inferes 1. Ergo Sacerdos approbatus ad solos duos menses, validè extra illos absolveret, si communi errore vulgi censeretur adhuc approbatus.

Respondeo concedendo illationem. Imò idem dicendum, si quis per Bullam eligat Confessarium in eo loco, in quo ignoratur, Bullam esse revocatum: aut Episcopum revocasse licentiam tali Confessario: sicut etiam valent absolutiones factæ per Religiosos semel approbatos, quamvis occultè sint revocatae. Ita *P. Sanchez lib. 3. de Matrim. d. 22. num. 58. & apud illum P. Henric. lib. 6. de Penitent. cap. 6. num. 2. & 3. in comment. litt. E. & J. & cap. 7. num. 2. in comment. litt. Q. & lib. 5. de Penitent. cap. 14. num. 4. Manuel, tomo 1. sum. cap. 60. num. 3.*

Inferes 2. Ergo si Parochus licentiam assistendi matrimonio daret laico, quem communis error crederet sacerdotem, tale matrimonium foret validum. Respondeo concedendo illationem, etiam si Parochus non foret verus Parochus, quia occultè fuerat privatus officio; dummodo tamen à principio habuerit titulum, aut verum, aut saltem coloratum; imò etsi fictè talem licentiam concederet; sicut etiam Sacerdos validè absolveret, etiam si Episcopus fictè ei concederet potestatem absolvendi; siquidem in omnibus daretur communis error, & titulus coloratus. Ita *P. Sanchez de Matrim. lib. 3. d. 22. num. 64.*

Inferes 3. Ergo si quis sciat Episcopum reverà esse privatum à jurisdictione, licet communiter putetur illum habere: aut Parochum similiter ab officio; poterit ab Episcopo petere Beneficium, validèque erit talis collatio; & contrahere coram tali Parocho, validumque erit tale matrimonium. Resp. concedendo totum; siquidem ad hæc sufficit error communis, licet detur scientia in aliquibus personis particularibus. Ita *P. Sanchez cit. num. 61.* Utrum verò peccet, qui sciens impedimentum iudicis, vel Prælati, ab illis tamen petit aliquos actus, nempe sententiam, beneficium, absolutionem, & similia? Respondeo, peccare, si habeat alios iudices, aut Prælatos, à quibus petit: si verò non habeat, validos, & licitos esse actus, quos ab illis petit.

Inferes 4. Ergo validè, & licitè poterit quis petere, & accipere absolutionem ab excommunicato vitando, cujus excommunicatio communiter ignoratur; licet non ignoretur ab ipso pœnitente. Respondeo negando illationem; talis enim confessio, & absolutio foret nulla, non ex defectu jurisdictionis, ut patet ex supra dictis, sed ex eo quod pœnitens teneretur in secreto vitare illum excommunicatum; nihil autem est secretius, & occultius, quam confessio sacramentalis: Unde cum ille pœnitens communicando cum excommunicato peccaret mortaliter, & poneret obicem; confessio autem, & absolutio stare non possint cum actuali peccato, inde fieret quod utraque esset invalida. Ita cum *Medin. Adrian. tenet P. Sanchez lib. 3. de Matr. d. 22. n. 46.*

Addit tamen *P. Sanchez ibid.* quod pœnitens non peccaret, possetque licitè, & validè confiteri, si ille Confessor esset suus Parochus, & alium non haberet, cui posset confiteri, dareturque necessitas confitendi: aut pœnitens haberet conscientiam erroneam, quod non esset peccatum communicare cum excommunicato vitando; licet enim communicare cum illo in rebus sacris sit peccatum mortale, ut cum communi docet *P. Egid. d. 14. de Cens. dub. 14. num. 146.* nisi communicatio sit valdè exigua, ut notat *Avil. p. 2. cap. 6. d. 8. dub. 3.* & communicare cum illo in rebus humanis sit solum peccatum veniale, ut cum *P. Soar. docet P. Martimon. d. 79. de Cens. num. 137.* quando tamen adest necessitas

fitas, nullum datur peccatum, ut in casu proposito docet P. Sanchez cit.

77. Objicies 2. Prædicta doctrina non est vera in Judice, aut Prælato non habente titulum coloratum, sive collatum per legitimum superiorem, licet communiter existimetur verus Judex, aut Prælatus; ergo neque sic erit vera in Judice, aut Prælato prædictum titulum habente. Respondeo primò negando antecedens cum *Basil. lib. 3. de Matrim. cap. 22. num. 46. Joan. Sanch. in select. d. 44. num. 3. apud. Dian. part. 2. tract. 16. resolut. 43.* qui addit hanc opinionem esse satis probabilem, & utilem Confessoribus, & bono communi. Undè secundam hanc sententiam Ecclesia dat jurisdictionem, quando adest communis error, etiam sine titulo colorato, idest, per legitimum superiorem collato.

78. Respondeo secundò, dato, & concessio antecedente, negando consequentiam; diversa ratio patet ex dictis; ad hoc enim, ut gesta valeant, non sufficit communis error, sed requiritur etiam titulus, saltem coloratus, seu præsumptus, quo caret ille, qui non auctoritate superioris, sed ipse se ipsum intrusit in dignitatem aut officium: vel collatio fuit illi facta à superiore, qui etiam ad suam dignitatem non habuit titulum coloratum. Ita ex *cap. Infamis, vers. Verumtamen, 3. quest. 7. & ex l. Barbarius, ff. de officio Prætoris.* Probat cum multis P. Sanchez de Matr. lib. 3. d. 22. num. 49. tenent etiam P. Less. lib. 2. de Just. cap. 29. dub. 8. num. 68. P. Soar. tomo 4. in 3. part. d. 26. sect. 6. num. 7. P. Reginal. in praxi, tomo 1. lib. 1. num. 102 & 103. P. Agid. d. 8. de Sacram. dub. 2. num. 22. & dub. 6. num. 47. P. Filiuc. tomo 1. tract. 7. cap. 9. num. 227. P. Faugund. lib. 7. quinquag. cap. 2. num. 73. quos citat, & sequitur *Dian. part. 2. tr. 16. resolut. 43.*

79. Unde, ut valida sint gesta per judicem putativum quatuor debent conditiones concurrere: Prima, ut habeat titulum putativum, & coloratum. Secunda, ut communi errore existimetur legitimus superior. Tertia, ut talem titulum putativum obtineat homo ab eo, qui poterat illum conferre, quamvis de facto invalidè collatus sit, ut tenet *Barbof. de Potest. Parochi, cap. 17. n. 33.* aliter non haberet ille titulus colorem, quo verus possit videri. Quarta, ut Judex non sit incapax officii de jure naturali, aut divino; siquidem tale impedimentum suppleri non potest per jus humanum ex *Regul. 148. de regul. jur.* Hinc est, ut non valeant gesta per Judicem rationis usu carentem, licet communi errore putetur sanæ mentis: neque maneat absolutus, qui putat se habere veram contritionem, aut attritionem, cum tamen non habeat: neque qui absolvitur ab eo, qui putatur verus Sacerdos, cum tamen non sit, idemque de similibus casibus; nam de similibus idem est judicium per text. in *l. Non possunt, ff. de legibus.* neque enim parium debet esse dispar ratio *Bald. in l. Mulier, C. de sponsalib. & alii apud Lar. lib. 1. cap. 5. n. 1.*

SECTIO V:

Qualiter mereatur qui cum Conscientiâ erroneâ dictante aliquid esse licitum, id operatur?

80. DVERTES quæstionem posse procedere de Conscientiâ, aut invincibiliter, aut vincibiliter erroneâ, nempe in casu, quo Medicus ex motivo misericordie

diæ applicat remedium medicinæ infirmo, existimans, tale remedium profuturum, quod tamen illi mortem intulit: & quæritur: Utrum talis actus, applicans tale remedium putatum bonum, sit moraliter bonus? Unde fit.

Difficultas 1. Utrum hæc voluntas applicans, tale remedium, sit actus moraliter bonus, quando existimatio est invincibilis; sive applicatio fit ex conscientiâ invincibiliter erroneâ? Affirmativè. Ita *Cordub. lib. 1. quest. 23. 2. p. proposit. 1. P. Soar. cit. d. 12. sect. 4. num. 8. P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 1. n. 17. P. Azor. lib. 2. cap. 8. q. ult. P. Vasq. 1. 2. d. 58. cap. 1. & d. 60. cap. 3. P. Pal. tom. 1. d. 1. punct. 2. num. 6. P. Valent. d. 2. quest. 14. punct. 5. assert. 2. P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica sect. 3. num. 20. Lorca d. 37. memb. 1. proposit. 1. Almam. lib. 1. moral. cap. 4. P. Becan. tract. 1. cap. 4. quest. 7. num. 7. Malder. d. 83. S. Quamvis. P. Filiuc. tomo 2. tract. 21. cap. 4. num. 123. P. Amicus tomo 3. d. 15. n. 21. P. Laym. lib. 1. tract. 1. cap. 3. num. 2. P. Arriaga tom. 3. d. 21. num. 27. & alii, quatenus omnes communiter asserunt, actionem humanam esse moraliter bonam, si conformetur conscientie erranti invincibiliter proponenti voluntati, ut honestum, quod à parte rei est malum aut indifferens,*

81. Probat primò ex P. Soar. Sanchez, & Sal. cit. quia homo ille applicans remedium infirmo, non peccat; siquidem ignorantia invincibilis excusat à culpâ, sicut & à penâ, prout supra diximus; ergo elicit actionem honestam, & bonam; siquidem in judicio non datur actio indifferens; ergo si actio illa non est prava debet esse honesta, & bona.

82. Non placent: Primò, quia licet actus ille applicandi remedium infirmo non sit peccaminosus, non ex eo sequitur, quod sit honestus, cum possit esse indifferens per se juxta opinionem *Scot. in 2. dist. 7. quest. unica.* Siquidem prædictus actus, licet ex ignorantia invincibili excusetur à malitiâ, non tamen accedet ad perfectionem bonitatis moralis, sicque manebit indifferens.

83. Secundò, quia talis actus voluntatis poterit esse indifferens saltem per accidens; licet enim sententia *D. Thom. quest. 18. art. 9.* negans actus indifferentes in individuo sit maximè recepta, negari non potest, quod opinio contraria sit etiam probabilis, juxta quam si quis operetur, eliciet actum indifferenter, non quidè per se, sed per accidens, idest ex opinione probabili: nam si unus probabiliter existimans dari honestatem in objecto, eliciet operationem honestam, cur etiam non eliciet indifferenter, si probabiliter existimet, dari actum indifferenter in individuo? Quidquid in contrarium dicat P. Sal. cit. num. 21. adversus P. Soar. 1. 2. tract. 3. d. 9. sect. 3. num. 50. sine P. Becan. tract. 1. cap. 5. quest. 6. n. 5. & *Lorc. de actib. human. d. 29. dub. 1.* qui omnes libenter admittunt, dari actus indifferentes in individuo, non ex natura rei, sed per accidens, interveniente opinione probabili.

84. Probat secundò ex eisdem authoribus, quia actio conformis judicio recto, est actus honestus; sed actus applicandi tale remedium ægroto, ita se habet; siquidem judicium dictans, quod tale remedium honestè applicandum sit ægroto, est rationale; ergo & rectum; consequenterque rectus, & honestus est talis actus. Non etiam placent; siquidem, ut supra diximus de Conscientiâ rectâ, illud judicium non est verum, etiam practicè; ergo neque rectum. Unde melius.

85. Probatur tertio à priori, quia actus voluntatis moraliter bonus desumit suam bonitatem ab objecto, non prout est in se à parte rei, sed prout repræ-

E 3 sentatur

sentatur per intellectum; sed prout per intellectum repræsentatur, æqualiter repræsentatur per notitiam veram, atque per falsam in ordine ad appetitionem voluntatis; siquidem voluntas non magis allicitur ex notitia vera objecti ad illud profectum, quàm ex notitia falsa; ergo si actus voluntatis, tendens in objectum honestum repræsentatum per notitiam veram, est actus honestus, etiam talis erit, si tendat in objectum honestum repræsentatum per notitiam falsam, si talis sit invincibiliter. Confirmatur, quia hæc est ratio à priori, propter quam operari contra conscientiam erroneam non est peccatum, ut patet ex supra dictis, quatenus scilicet præceptum (idemque de bono non præcepto,) non inducit obligationem voluntati, nisi ut repræsentatum voluntati; sed eodem modo repræsentatur per cognitionem veram, ac falsam; ergo actus voluntatis, qui conformatur cum notitia invincibiliter falsa de objecto honesto, erit moraliter honestus, & bonus.

87. Probatur quartò à posteriori, quia actus, qui conformatur conscientie erronee invincibili, est meritorius; ergo & moraliter bonus; siquidem meritum est passio consequens bonitatem moralem actus in homine viatore. Probatur antecedens primò, quia fideles communiter existimant, se æqualiter mereri in actibus procedentibus ex ignorantia invincibili, si alioqui tendant in motiva honesta; atque in actibus factis ex scientia recta; alioqui non æquale meritum daretur in actu misericordie, quo quis largitur eleemosynam pauperi ficto, atque datur in actu, quo sublevatur miseria pauperis veri; ergo &c.

88. Secundò, quia si opera facta ex ignorantia invincibili non essent meritoria, sequeretur, fideles maxime retardari ab exercitio bonorum operum, quatenus in illis potest aliquis error contingere, darique probabile periculum amittendi fructum, sicque quando quis vellet dare eleemosynam pauperibus, qui simulatis plagis emendant, deberet adhibere diligentiam, ut certò sciret, essentne vera, an fictæ plagæ illæ, ne fructum amitteret, quæ diligentia multum temporis consumeret, virtutum exercitium impediret, & à sanctis Patribus reprehenditur; ergo &c. Tertiò, quia Deus non est magis propensus ad puniendum, quàm ad præmiandum; sed punit ut demeritorias actiones factas contra conscientiam invincibiliter erroneam; ergo etiam ut meritorias præmiabit illas, quæ fuerint conformes eidem conscientie invincibiliter erronee.

89. Probatur quintò ab exemplo, quia si quis cum errore invincibili existimet, dari præceptum non comedendi carnes feriâ sextâ, in qua incidit festum Nativitatis Christi Domini, & comedat, peccabit contra talem conscientiam, ut est certum; ergo etiam si actio fiat conformiter ad talem conscientiam, & cum debitis circumstantiis, erit moraliter honesta, & bona; siquidem contrariorum eadem est ratio; bonitas autem & malitia sunt contraria.

90. Dices: Ex D. Dionys. lib. 4. de divin. Nominib. Malum ex quolibet defectu; bonum non, nisi ex integra causa; ergo licet agere contra conscientiam invincibiliter erroneam, sit peccatum, non ideo actio, quæ illi fuerit conformis, erit moraliter bona, ut potè quod ad honestatem moralem non sufficit cognitio falsa; sicut ad malitiam, sed ulterius requiritur cognitio vera, ut detur integra causa. Respondeo negando consequentiam quoad secundam partem; argumentum enim, quando fit à malitia ad bonitatem, est satis probabile, nisi aliqua ratio urgens desumpta ex speciali ratione malitiae

cogatur aliter in illa, quàm in bonitate philosophari.

Instabis: Ex demerito ad meritum non fit bona argumentatio; ergo neque ex malitia ad bonitatem. Consequentia videtur sufficiens. Probatur antecedens, quia si quis incidat in adulterium, plus demeretur, quàm si solam simplicem fornicationem committat; siquidem cum demeritum sequatur malitiam, & in primo actu peccat contra justitiam, & castitatem; in secundo autem contra solam castitatem, inde fit, quod primus actus sit magis demeritorius, quàm secundus; sed ex hoc non fit argumentum ad meritum; siquidem æqualis meriti est actus, quo quis largitur eleemosynam pauperi Sacerdoti ex motivo misericordie, prævidendum esse Sacerdotem; atque est actus, quo æqualem eleemosynam confert pauperi non Sacerdoti ex eodem motivo; licet enim in Sacerdote detur specialis honestas religionis, non datur ibi novum exercitium libertatis, quod necessarium erat ad novum meritum; ideòque multi admittendo distinctam bonitatem in actu externo, & interno, negant tamen in externo distinctum meritum, quia in illa non datur distincta libertas; ergo &c.

Hæc instantia multa continet scitu digna, & infra examinanda Tract. 2. Disp. 2. Interim Respondeo aliquando fieri bonam argumentationem à demerito ad meritum, v. g. ex libertate sufficiente ad peccandum mortaliter; sicque ad demerendam vitam æternam, bene potest inferri, quod etiam sufficiat eadem libertas ad promerendam eandem vitam æternam, & in hunc modum argumentatur P. Soar. tract. 3. de Grat. lib. 12. cap. 3. num. 12. ex quo potius confirmatur, quàm infirmatur argumentum desumptum à malitia morali ad bonitatem moralem in casu proposito, ut consideranti patebit. Ad exemplum.

Respondeo primò, plus quidem demereri, qui peccat cum uxoratâ, quàm cum solutâ, si non ratione offensæ, quæ secundum graves Theologos (ut suo loco videbimus) est simpliciter infinita, proindeque demeretur infinitum, atque adeò tantum demeretur per unam offensam, quàm per mille; infinitum enim non potest augeri, sicut neque minui; ratione tamen malitiae, quæ duplex est in adulterio, ut probat argumentum: ex hoc autem, juxta opinionem probabilem, bene potest inferri, etiam majoris meriti esse actum misericordie exercitum erga pauperem Sacerdotem, quàm erga illum, qui Sacerdos non est. Quam opinionem sequitur P. Vasq. d. 43. cap. 4. num. 25. P. Azor. tomo 1. lib. 1. cap. 26. quest. 8. dum dicunt ad distinctum meritum satis esse distinctam bonitatem, licet exercitium libertatis non sit distinctum; sic enim in electione medii necessarii, cum sit actus necessarius, concedunt distinctum meritum, si detur distincta bonitas à bonitate intentionis.

Respondeo secundò juxta aliam sententiam asserentem ad distinctum meritum necessariò requiri distinctam libertatem, ut docet P. Soar. tomo 3. de Grat. lib. 12. cap. 11. à num. 8. P. Sal. 1. 2. tract. 6. d. 1. sect. 5. num. 46. & de qua nos infra Tract. 2. Disp. 2. quod, stante eadem libertate, possit dari duplex demeritum in eo actu adulterii: non autem duplex meritum in eleemosyna Sacerdoti erogata. Et ratio est, quia actus meritorius, cum de se sit perfectior, quàm demeritorius, perfectiorè requirit libertatem absolute loquendo; ergo licet multiplicetur demeritum, non multiplicabitur meritum, nisi exercitio libertatis multiplicato. Unde licet in actu externo

externo bono non detur novum meritum ob defectum novi exercitii libertatis; non proinde dicendum est, quod in actu externo pravo non detur novum demeritum ob eundem defectum; siquidem novum demeritum non postulat novum exercitium libertatis, ut non postulat in adulterio, in quo datur idem exercitium libertatis, & tamen datur duplex demeritum, quia duplex datur malitia contra duplicem virtutem, ut manifestum est.

95. Inferes: Ergo si homo in articulo mortis eliciat contritionem ex intentione efficaci consequendi Beatitudinem, non salvabitur, cum talis actus sit necessarius, homo autem debeat liberè salvari. Respondeo negando illationem; licet enim contritio sit medium unicum, & necessarium ad salutem in hoc eventu (suppono non dari copiam Confessoris,) & eliciatur ex intentione efficaci consequendi salutem, non est tamen actus necessarius juxta ordinarium modum operandi hominum; siquidem ordinariè prædictus actus contritionis est simpliciter liber, quatenus liberum est voluntari mutare intentionem, etsi efficacem; consequenterque elicere, aut non elicere actum contritionis. Nam qui facit votum, efficax propositum habet implendi illud, & tamen nova libertate illud implet.

96. Urgebis: Actus Contritionis, ut supponitur, datur simul in eodem instanti, in quo primò existit intentio; sed ex illa, cum sit efficax, necessariò sequitur actus contritionis; siquidem posita intentione in instanti, in quo est, non potest pro eodem non esse; illa autem posita, necessariò determinatur voluntas pro eodem instanti ad actum contritionis; ergo &c. Respondeo in tali eventu nihil mereri hominem per actum contritionis, cum sit necessarius; hic tamen casus extraordinarius est, sicque non debet reputari absurdum dicere, actum contritionis non esse meritorium, quando est actus necessarius; alioqui absurdum erit dicere, amorem beatificum, cum sit actus perfectissimus & supernaturalis quoad substantiam, non esse meritorium, etiam dato, quod status Beatorum de potentiâ absolutâ esset status merendi, quia est actus necessarius. Adhuc tamen.

97. Objicies 1. pro *Martin. de Magistris, quest. 5. de ebriet. ad 9. & August. apud P. Sanchez lib. 1. de cal. cap. 11. num. 17. sine*: Bonum, & malum à quo actus voluntatis desumit bonitatem, aut malitiam, in eo distinguuntur ex *D. Thom. 1. 2. quest. 19. art. 6. ad 1.* quod ad malum sufficit, quod aut in re sit malum, aut ut malum apprehendatur; ad bonum autem, quod utroque modo sit bonum, & in re, & ut apprehenditur; ergo actus tendens ad objectum in re malum, licet apprehensivè bonum, non est bonus, neque honestus.

98. Respondeo cum *P. Sanch. proximè, D. Thom. locutum fuisse de conscientia vincibiliter erroneâ, & prout sic docuisse, ad malum sufficere, quod detur malitia, aut in re, aut in apprehensione; ad bonum autem requiri quod utroque modo sit bonum. Et ratio est, quia si homo existimet per errorem vincibilem objectum à parte rei malum, esse bonum, & operetur juxta talem conscientiam, peccat: & si per errorem etiam vincibilem, objectum à parte rei bonum, existimet esse malum, & illud amplectatur, peccat; ergo ad malum sufficit malitia, aut in re, aut in apprehensione, quando homo ex ignorantia vincibilis operatur. Deinde ad bonum requiritur, quod utroque modo sit bonum, quia cum ignorantia vincibilis non excuset, ut homo honestè operetur per errorem vincibilem, non solum est ne-*

cessarium, quod bonitas apprehendatur, sed etiam quod in objecto non detur malitia à parte rei; alioqui jam actus erit pravius; ergo ad bonum requiritur bonitas utroque modo.

Objicies 2. Bonitas sumitur ex objecto debito; sed quando actus conformatur conscientia invincibiliter erroneâ, non tendit in objectum debitum, imò indebitum; ergo non est bonus. Respondeo distinguendo majorem: sumitur ex objecto debito, vel à parte rei, vel apparenter; concedo majorem: solum debito à parte rei; nego majorem: sufficit enim, quod objectum apprehendatur ut honestum, licet à parte rei tale non sit, ad hoc ut actus ad illud tendens sit honestus, ut diximus.

Objicies 3. Actus bonus debet conformari cum rectâ regulâ; sed judicium erroneum ex eo, quod tale est, non est recta regula; ergo actus, qui cum illo conformatur, non est bonus. Respondeo primò cum aliquibus, actum, ut sit bonus, debere quidem conformari rectâ regulâ; judicium autem invincibiliter erroneum esse rectam regulam, saltem practicè: duplex enim inquit, est recta ratio, una speculativa, quæ tunc censetur recta, quando est conformis rei quam enuntiat: altera practica, quæ tunc datur, quando prudenter dirigit voluntatem, idest, quando proponit voluntati ea, quæ, adhibitâ morali diligentia, judicat esse honesta, licet fortè ex ignorantia invincibili erret. Undè ut voluntas sit recta, opus non est, ut sit conformis rectæ rationi speculativæ, sed satis est, quod conformetur rectæ rationi practicæ, idest, ut amplectatur id, quod ratio practica prudenter judicat esse honestum, licet non sit tale. Sed cum *d. 2. sect. 1. & 2. dixerimus num. 12. & 38.* veritatem practicam non distingui à veritate speculativâ.

Resp. secundò melius, ad hoc, ut actus sit moraliter bonus, & honestus, aut non esse necessarium, quod conformetur rectæ regulæ; aut si necessarium est, per rectam regulam intelligendam esse rectam, aut in re, aut solum apparenter, quale est judicium invincibiliter erroneum representans objectum pravum ut connexum, & sibi conforme.

Objicies 4. Si conscientia invincibiliter errans dicitur actum esse indifferentem, non idèò actus erit indifferens; siquidem actus in individuo aut est bonus, aut malus; ergo licet conscientia prout sic dicitur, actum esse bonum, non idèò erit bonus, si à parte rei sit malus. Respondeo negando antecedens, & ejus probationem, ut patet ex supra dictis à *num. 83.*

Objicies 5. Actus fidei non specificatur, neque specificari potest, per motivum apparens; alioqui cum hoc possit esse falsum, posset etiam talis esse actus fidei, & Deus diceretur causa, & author falsitatis, quod non est admittendum; ergo idem dicendum erit de actibus aliarum virtutum. Resp. negando consequentiam; diversa ratio est, quia actus judicativus fidei supernaturalis informare debet objectum materiale, prout est à parte rei, sicque debet specificari per proprium motivum, & non per aliquid apparens, alioqui jam posset esse falsus, & Deus causa falsitatis, quæ neque de potentia absoluta in Deum cadere potest, ut optimè docet *P. Soar. d. 3. de Fide, sect. 5. num. 6.* Unde in actu fidei, quatenus pertinet ad intellectum, est specialis repugnantia: hæc autem non datur in actibus aliarum virtutum, sicque bene possunt specificari per motivum apparens.

Dixi quatenus pertinet ad intellectum, siquidem prout spectat ad voluntatem, & est pia affectio, posse specificari per objectum apparens tenet *P. Sah. sect. 3.*

sect. 3. n. 20. fine. Unde juxta hunc dicendi modum si alicui proponatur tanquam de fide credendum, Tobiam non habuisse canem, & hic invincibiliter per quandam prudentiam apparentem judicet objectum esse sufficienter propositum, eliciet voluntatem credendi supernaturalem.

105. Objicies 6. Si conscientia invincibiliter errans sufficeret ad actum bonum, talis actus spectaret ad aliquam virtutem; habitum produceret; ac tandem foret meritorius; sed nullum ex his dici potest. Non primum; siquidem actus virtuosus tendit in bonum; ille vero actus tendit in objectum pravam a parte rei: Non secundum; siquidem habitus est specialis inclinatio ad speciale objectum honestum, non vero turpe, qualis esset habitus a tali actu productus. Non denique tertium, alioqui sequeretur, aliquem adulterando, & occidendo mereri, quod est absurdum; ergo &c. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem patet solutio ex dictis numer. 83. 91. & sequentibus, & patebit ex dicendis num. 108.

106. Objicies 7. Si actus voluntatis, qui conformatur conscientie invincibiliter erronee, esset honestus, & bonus, posset homo de illo jam præterito licite gaudere; sicq; poterit Petrus v. g. gaudere, quod medicinam dederit infirmo, ex qua mortuus est; sed hoc dici non potest; ergo neque illud, ex quo sequitur. Hoc argumentum spectat ad materiam de peccatis, ubi agitur, & a nobis agendum est, de delectatione morosa, de qua etiam infra aliqua perstringemus: Interim:

107. Respondeo in casu adducto de medicina applicata ægroto per errorem invincibilem, ex qua ille mortuus est, duo spectanda esse: Primum actum voluntatis secundum objectum illius, & effectum secutum. Igitur de actu præterito, quo homo voluit applicare medicinam, prout honestus fuit, licitum est gaudere: non ita tamen de objecto illius, neque de effectu secuto; siquidem objectum, & effectus secutus, est quid turpe, licet antecederet per ignorantiam invincibilem putaretur honestum, quatenus applicatio illa medicinæ representabat profutura. Hæc interim, latius enim infra dicemus de hac re Sect. 10.

108. Difficultas 2. Utrum hujusmodi actus conformis conscientie invincibiliter erranti habeat bonitatem, non solum in genere, sed ejusdem speciei, quam haberet, si conscientia recta foret, & objectum propositum ita esset a parte rei honestum, sicut per hanc conscientiam proponitur? Affirmative. Ita expressè P. Soar. P. Sanch. P. Sal. Lorca cit. Probatur primò, quia eadem est ratio de objecto representato ut absolute honesto respectu actus voluntatis, ut sit absolute honestus, quæ est de objecto representato ut honesto sub aliqua specie honestatis, ut ille sub tali specie sit honestus, & moraliter bonus; sed actus de objecto, ut absolute honesto, est absolute honestus; ergo etiam de objecto sub aliqua specie honesto, erit in tali specie honestus.

109. Probatur secundò; quia objectum specificat actum, non prout est in re ipsa, sed prout proponitur; sed per errorem invincibilem sufficienter proponitur sub tali specie; ergo quatenus proponitur per talem errorem, tribuit bonitatem specificam actui voluntatis. Confirmatur, quia actio facta contra hujusmodi conscientiam erroneam, habet malitiam ejusdem speciei, quam haberet, si fieret contra conscientiam rectam, ut communiter conceditur; ergo etiam actio facta secundum eandem conscientiam, habebit bonita-

tem ejusdem speciei, quam haberet, si fieret secundum conscientiam rectam. Hæc interim, infra enim latius iterum de hac re Sect. 10.

## SECTIO VI.

Quid in proposito eventu dicendum de Conscientiâ vincibiliter erroneâ?

**D**ICO 1. Actus ille voluntatis applicandi medicinam ex motivo misericordie, quando medicina per errorem vincibilem mortem attulit ægroto, est simpliciter malus. Ita D. Thom. 1. 2. quest. 19. art. 6. ad 3. Medin. ibid. quest. 1. Cordub. lib. 3. quest. 4. P. Valent. 1. 2. d. 2. q. 14. punct. 5. ad 2. P. Aror. lib. 2. cap. 8. quest. 8. P. Vag. 1. 2. d. 60. cap. 2. n. 4. P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica, sect. 3. n. 26. P. Sanch. lib. 1. de cal. cap. 11. num. 12. P. Soar. cit. d. 12. sect. 4. num. 10. Lorca d. 37. membr. 1. proposit. 2. P. Becan. cit. cap. 4. quest. 7. num. 12. P. Filiuc. tomo 2. tract. 21. cap. 4. num. 123. P. Amicus tomo 3. d. 25. num. 26. & alii. Probatur, quia ut actio sit simpliciter bona, requirit integram causam, ut notavit D. Thom. cit. ad 1. sed integra causa non est apprehendere objectum ut bonum, oportet enim, ut in intellectu sit etiam integra ratio apprehensionis boni, idest, ut res illa in intellectu judicetur bona, & nullo modo judicetur, nec debeat judicari mala; deberet autem sic judicari, licet contrarium judicaretur per errorem vincibilem; ergo talis actio est simpliciter mala.

Et ratio hujus differentie inter bonam, & malam actionem est, quia quando voluntas tendit in id, quod ex conscientia vincibiliter erroneâ malum judicatur, etiam si a parte rei honestum sit, malitia est voluntaria; siquidem est a principio intrinseco cognoscente ipsam malitiam: quando autem tendit in id, quod ex simili conscientia judicatur honestum, cum malum sit, ita tendit in honestum, ut etiam maneat ratio voluntarii circa malitiam; siquidem levis, seu vincibilis ignorantia non tollit voluntarium, sed sola invincibilis; ergo cum ratio mali in utroque eventu maneat aliquo modo voluntaria, & imputetur; bonum autem debeat esse ex integra causa, hoc est, ita bonum, ut nullâ ratione sit malum, inde fit, ut voluntas illa non sit bona, sed simpliciter mala.

Oppones 1. Peccatum debet esse contra conscientiam; sed homo quando applicavit medicinam ægroto existimans profuturam, non egit contra, sed secundum conscientiam, licet vincibiliter errantem; ergo non peccavit. Resp. primò cum Alenf. 2. p. q. 120. majorem esse veram de omni peccato mortali; non autem de veniali; siquidem solum peccatum mortale est simpliciter prohibitum, solum autem illud, quod est prohibitum per aliquam legem propositam a conscientia, est contra conscientiam. Cum autem certum sit, non solum peccatum mortale, sed etiam veniale prohiberi; aliquando enim solum distinguuntur secundum magis, & minus, aliter respondendum: igitur.

Respondeo secundò distinguendo majorem: omne peccatum debet esse contra conscientiam, si conscientia accipiat pro judicio proximè dirigente actionem, quale in præsentem est conscientia vincibiliter errans; nego majorem: si accipiat pro alio judicio; concedo majorem: tunc enim peccatum erit contra illud, nempe contra judicium dictans:

dicant: quod sit peccatum operari contra conscientiam vincibiliter errantem; quod quidem iudicium, saltem virtute datur in intellectu, quando intervenit conscientia vincibiliter errans.

114. Oppones 2. Si homo operetur contra conscientiam vincibiliter erroneam, peccat, ut infra dicemus, & supra jam diximus; ergo operando juxta illam non peccabit; alioqui dabitur perplexitas. Resp. cum P. Soar. cit. num. 10. & 12. P. Vasq. cit. n. 6. P. Becan. n. 13. & P. Sanch. cit. negando consequentiam: talis enim homo peccaret quamvis partem eligendo, si conscientiam non deponeret, cum posset, & deberet: quia verò poterat, & debebat illam deponere, ut potè precedentem ex solâ ignorantia vincibili, idèd solum per accidens, & secundum quid, non verò simpliciter esset perplexus, & necessitatus ad peccatum: sic enim non simpliciter, sed tantum secundum quid est perplexus, qui suppositâ pravâ voluntatis intentione habet animum quærendæ vanæ gloriæ ex auditione Missæ in die festo; & tamen omissens Sacrum, peccat contra præceptum, & illud audiens similiter peccat ratione pravi illius finis.

115. Dico 2. Actus ille voluntatis applicandi medicinam ex motivo misericordiæ, quando per errorem vincibilem mortem attulit ægroto, saltem secundum quid est bonus, nempe ex objecto. Ita tenere debent, qui opinantur, eundem actum voluntatis posse esse simul bonum, & malum, de quo alibi. Probatum primò, quia actus tendens in objectum malum, putatum tamen invincibiliter bonum, est bonus, eo quod talis actus non specificetur per objectum, prout est à parte rei, sed prout representatur; ergo etiam actus tendens in idem objectum malum, putatum tamen vincibiliter bonum, erit bonus ex objecto, eò quod talis actus non desinit speciem ab objecto, nisi prout movet; movet autem sub ratione boni, & honesti.

116. Dicent, quando objectum pravum representatur per errorem vincibilem, semper malitiam esse voluntariam; ac proinde objectum esse pravum, nullamque bonitatem posse actui tribuere. Sed contra, quia dari aliquam circumstantiam pravam in objecto, non tollit, quòd objectum sit honestum, & sic specificet suum actum. Patet, quia casu, quo aliquis feriâ quintâ prope mediam noctem temperatè manducaret carnes, perseverante eodem actu post mediam noctem, talis actus fieret malus, denominareturque simpliciter malus, & secundum quid bonus, agnoscente intellectu manducationem illam esse jam pravam ex præcepto prohibente; ergo licet objectum pravum, representatum per errorem vincibilem honestum, sit voluntatum quoad circumstantiam pravam, poterit nihilominus, prout representatur honestum voluntati, specificare illius actum, malum quidem simpliciter, sed bonum secundum quid, & ex objecto.

117. Probatum secundò, quia objectum indifferens propositum voluntati per errorem vincibilem sub ratione honesti, specificat actum voluntatis ex objecto honestum, ut fatentur P. Soar. num. 10. P. Sal. cit. sect. 3. num. 23. Lovca d. 37. memb. 1. proposit. 3. ergo etiam sic specificabit objectum pravum cognitum per errorem vincibilem, licet alioqui etiam communicet actui malitiam.

118. Oppositum tenent P. Soar. P. Sal. cit. num. 26. P. Becan. tract. 1. cap. 4. num. 11. Pro quibus: Obijcies 1. Objectum reverà est malum, & non prudenter, sed ex ignorantia vincibili iudicatur bonum, & honestum; atqui objectum sic existimatum bonum, nullam communicat bonitatem actui, neque

Tom. 2.

excusat omninò; ergo &c. Respondeo negando minorem, ut patet ex dictis.

119. Obijcies 2. cum Ocham. in 3. quest. 13. In tali actu duplex daretur ratio mali, sive peccati; altera omissionis debita; & altera commissionis peccati existimati; ergo nulla datur ratio boni. Respondeo cum P. Soar. P. Sal. cit. & P. Vasq. d. 60. cap. 2. negando antecedens: neque enim in tali actu datur illa duplex ratio peccati; siquidem omisso illa non est mala, nisi quatenus est causa talis commissionis, sicque idem cum illa peccatum censetur: sicut etiam quando commissio est mala ratione omissionis, ut quando quis ratione studii omittit sacrum, studium ipsum, quod est causa illius omissionis, censetur idem peccatum cum illa; siquidem tota ejus malitia est, esse causam illius omissionis.

120. Obijcies 3. Principia evidentia, si perfecte applicentur, efficiunt assensum evidentem conclusionis: si verò applicentur imperfectè, solum apparentem, & probabilem assensum efficiunt; sed honestas imperfectè applicatur voluntati per errorem vincibilem; ergo non generat in voluntate, nisi actum omninò pravum, & nullâ ratione honestum. Respondeo consequentiam non rectè inferri; debebat enim sic rectè inferri; ergo non generat in voluntate, nisi actum imperfectè, & secundum quid honestum, sicque probat potius, quàm improbat nostram sententiam, poteratque argumentum retorqueri in hunc modum: Ex principiis evidentibus imperfectè applicatis gignitur scientia, licet minus perfecta; ergo etiam ex objecto honesto proposito voluntati minus perfecte per conscientiam vincibiliter erroneam, generabitur actus honestus secundum quid, licet simpliciter pravus.

## SECTIO VII.

*Utrum, & quomodo obliget Conscientia invincibiliter erronea in casu perplexitatis?*

121. **H**Æc quaestio communiter excitari solet sub his terminis: Utrum in casu perplexitatis peccet homo, quamcumque partem sequendo? Utrum peccet homo sequendo conscientiam erroneam, si dicet utramque contradictionis partem esse malam? Quæ omnes quaestiones eundem sensum faciunt, & explicentur exemplo pastoris, qui existimat, se peccare si omittat missam, ne gregem deserat, & simul peccare si deserat gregem, ut Missam audiat: qui casus, & similes dicuntur casus perplexitatis.

122. In primis certum est, quod talis pastor peccaret, si haberet ignorantiam vincibilem, nempe si haberet, quem consuleret, ut sic posset vitare omne peccatum sequendo unam partem ex consilio prudentis. Secundò etiam certum est, quod peccaret, si in una parte ei representaretur minor culpa, quam in alia, & tamen ille hanc, & non illam eligeret, ut si putaret, quod minor culpa esset omisso gregis, quam Missâ, ille tamen eligeret potius Missam, quam gregem omittere. Ita P. Bar. discept. 3. cap. 6. cum P. Soar.

123. Et ratio est, quia ex duobus malis, quando utrumque vitare non possumus, minus est eligendum per text. in cap. Duo mala dist. 3. siquidem tunc talis electio minoris mali non est peccaminosa; sed in proposito eventu proponeretur una pars ut minus malum, sicut supponimus; ergo poterit

F

licitè,

licitè, & tenebitur illam eligere, sin minus peccabit.

124. Confirmatur exemplis, quia Petro parato occidere Paulum possum licitè consulere, ut abscindat brachium, licet non possum illum juvare, ut docent Diana & alii statim citandi. Patri parato occidere filiam prægnantem ex adulterio, aut fornicatione: imò & filia parata se occidere ad vitandam infamiam, possum consulere abortum. Parato ad adulterium possum consulere fornicationem. Parato furari à paupere possum consulere, ut furetur à divite, quin teneatur ad restitutionem, dummodo non determinem personam; siquidem in his, & similibus casibus suadens minus malum ad vitandum majus non pecco, ut docent *Dian part. 7. tract. 5. resol. 39. P. Lugo* *tom. 1. de just. d. 19. sect. 2. n. 43.* & cum multis aliis *P. Sanchez lib. 7. de Matrim. d. 11. num. 15.* ergo neque sic peccabit pastor eligendo omissionem gregis, si hæc sibi videtur minus malum ad vitandum majus in omissione Missæ.

125. Quæstio igitur in titulo proposita solum procedit in casu, quo pastor per conscientiam invincibiliter erroneam sibi omninò persuaderet æquale peccatum esse gregem deserere, atque Missam omittere: aut mulier sibi etiam persuaderet æqualiter peccare, si infirmum deleret, atque Missam omittat. His positis.

126. Aliqui, inter quos est *Medin. 1. 2. quæst. 19. a. 6. q. 1. & d. 12. sect. 5. num. 3.* apud *P. Sanchez*, infra, & est *P. Granad. 1. 2. tract. 12. de Actib. human. d. 7. sect. 2.* apud *P. Lugo*. infra. existimant hunc casum esse impossibilem; dicuntque ad Divinam Providentiam spectare, aut hominem illuminare, ut sciat quod debeat eligere, aut hypothesim non permittere, quatenus durissimum sit, ut Deus hujusmodi hominem damnet propter peccatum (supponunt enim peccatum, ) quod absque ulla sua culpa vitare non posset, nisi aliud æquale comitteret.

127. Nihilominus omnes Doctores statim citandi jure optimo admittunt possibilem talem casum. Primò, quia de facto rustici, & scæminæ non semel se accusant apud Confessarios, se non audivisse Sacrum in die festo putando esse æquale peccatum relinquere gregem, aut infirmum periclitantem, atque omittere sacrum. Secundò, quia nullum datur inconveniens in admittenda hujusmodi perplexitate orta ex ignorantia invincibili. Tertio, quia licet non detur bellum justum pro utraque parte à parte rei; potest tamen dari ex ignorantia in duobus litigantibus, & opinantibus secundum regulas conscientiarum de eadem re, ut docet *P. Mol. tom. 1. de justit. & P. Less. lib. 2. de just. cap. 13. dub. 3. num. 30. & cap. 31. dub. 5.* ergo etiam licet repugnet dari hujusmodi perplexitatem à parte rei, non ita repugnabit, si ex ignorantia invincibili oriatur. Igitur.

128. Conclusio sit: Homo constitutus ex Conscientia invincibiliter erronea in tali perplexitate, non peccat, eligendo quamcumque partem maluerit. Ita *Rodrig. 2. tom. sum. cap. 51. num. 6. Adrian. q. 4. de restit. vers. Tibi videtur. Lorca d. 38. membr. 3. §. 3. regul. Malder. d. 87. §. Dico 3. P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 11. num. 14. P. Pal. tom. 1. d. 1. pun. 5. num. 2. P. Lugo de Incarnat. d. 26. sect. 1. num. 137. Joan. Sanchez. d. 41. num. 27. Rocasull. in praxi Theol. mor. part. 3. lib. 2. cap. 3. num. 66. Dian. part. 9. tr. 8. resol. 47. Hurt. de Deo, num. 89. & 99. Bonac. d. 2. de Peccat. quæst. 4. punct. 6. n. 27. P. Becan. tract. 1. cap. 4. quæst. 8. num. 7. P. Reginal. lib. 13. num. 86. P. Layman. lib. 1. tract. 1. cap. 4. num. 4. P. Escob.*

*tom. 1. lib. 2. cap. 4. num. 33. P. Henric. lib. 12. de Matr. lib. 2. cap. 6. n. 7. & alii.*

129. Probatur primò, quia ad peccandum requiritur libertas, quæ homo possit vitare, non solum unum peccatum, sed etiam aliud æquale; atqui homo ille prout sic, quamvis haberet libertatem ad eligendum unum ex illis objectis, non tamen haberet libertatem, ut evitaret culpam aliam æqualem, non eligendo aliud objectum, siquidem in utroque non eligendo sibi videbatur peccare; ergo non esset simpliciter liber; consequenterque in nullo peccaret.

130. Probatur secundò, quia quando quis violat aliquod præceptum, cujus violatio sibi videtur omninò necessaria ad servandum aliud præceptum, aut majus, aut æquale, non peccat; sed homo ille judicaret ex errore invincibili, omissionem Missæ esse medium omninò necessarium ad servandam aliam legem justitiæ æqualiter obligantis ad servandum gregem; & è contra; ergo non peccaret quamcumque partem eligendo; alioqui teneretur ad impossibile contra text. in *l. Impossibilem, ff. de regul. jur. 185. ibi: Impossibilem nulla obligatio est;* ergo &c.

131. Probatur tertio, quia non committitur peccatum sine libertate, tam in genere entis, quam in genere moris; sic enim peccatum non est transgressio jejunii in eo, qui aut invincibiliter ignoravit jejunium; aut per naturalem illius oblivionem mane comedit, cum tamen actio illa sit libera in genere entis, & non ita sit in genere moris; sed homo prout sic perplexus, non haberet utramque libertatem; licet enim haberet libertatem in genere entis, ut omitteret, aut non omitteret Sacrum, similiter & gregem; illam tamen non haberet in genere moris ad vitandum peccatum; siquidem utraque parte electa, necessariò imminet culpa; ergo &c.

132. Dicent, non esse simile; siquidem in exemplo adducto voluntas non fertur in malum cognitum, ideoque deficit libertas moralis; sed in casu proposito rusticus, & illius voluntas tendit in objectum malum cognitum; ergo eum deficit libertas moralis; consequenterque peccat. Respondeo cum *P. Sanchez* eum, sicut in exemplo adducto voluntas non fertur in malum, ut malum est, excusante ignorantia, aut oblivione inculpabili; ita in nostro casu voluntas non fertur in malum, ut possibile vitari moraliter; ergo in neutro casu datur peccatum.

133. Oppositam sententiam satis probabilè (ut dicit *P. Sanchez*) tenent aliqui Recentiores, quibus favent *P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica, sect. 5. num. 145. P. Becan. cit. quæst. 8. num. 7.* Pro quibus: Argues 1. Ut homo peccet, satis est, quod putet, imò & quod dubitet, se peccare; sed homo ille existimaret, se peccare, quamcumque partem eligeret; ergo quamcumque eligendo, peccaret. Respondeo majorem solum esse veram, quando ita putat, aut dubitat, se peccare, ut possit vitare peccatum, eligendo contrarium actum illi, in quo putabat peccare; sic enim non peccaret Petrus, si existimans, aut dubitans, esse peccatum ludere, ludum omitteret, eo quod sibi talis omisso non representabatur peccaminosa; quod aliter est in nostro casu, ut patet ex dictis.

134. Hoc modo intelligendi sunt Doctores, quando dicunt, peccare hominem, quoties existimat rem, quam facit, esse peccatum; hoc enim intelligendum est, quando ita facit, ut possit illam omittere, & aliam, quæ est æquale peccatum; nam si non potest omittere illud, in quo existimat, se peccare, etiam si existimat

existimet peccare, ejus sola existimatio non sufficit ad peccatum; sic enim non peccat, qui in carcere detentus, ubi nullo modo potest Missam audire, Missam non audit, licet existimet se peccare non audiendo. Ita P. Sanchez. lib. 1. decal. cap. 11. n. 3. Quamvis talis incarceration peccaret, si habens licentiam exeundi à carcere ad audiendam Missam, illam tamen omitteret.

34. Instabis: Habens privilegium audiendi Missam tempore interdicti, si illam omittat, non peccat; ergo similiter de incarceratione habente licentiam exeundi ad audiendam Missam. Respondeo primò negando antecedens cum P. Soar. in 3. part. d. 88. sect. 6. de Sacram. vers. Solet etiam. Sor. in 4. dist. 13. quest. 2. art. 2. Navar. Medin. Ledesm. Rodrig. P. Henrig. lib. 7. de Indulg. cap. 13. num. 3. sine, & lib. 9. de Missa, cap. 25. num. 11. & lib. 13. de excomm. cap. 48. num. 5. & aliis, quos citat, & sequitur P. Fagun. lib. 2. quinq. cap. 8. num. 5. Siquidem interdictum eatenus excusat, quatenus ponit impedimentum; sed hoc tollitur per privilegium; ergo qui hoc habet, non est impeditus, consequenterque non excusatur ab auditione Missæ, ut diximus de incarceratione.

35. Respondeo secundò, dato antecedente cum Avil. de Conf. part. 5. d. 4. sect. 2. dub. 6. Victor. Can. Rodrig. 1. part. sum. cap. 249. num. 14. & aliis, negando consequentiam; diversa ratio est, quia nemo obligatur uti privilegio sibi concessio; alioqui non esset gratia, sed onus; quæ autem in favorem alicujus conceduntur, non debent in damnum illius retorqueri, ex cap. Quod ob causam, de reg. jur. in 6. at verò incarcerationis habens licentiam exeundi, cum non habeat à quo excusetur, præceptum autem omnes non habentes exculationem obliget, etiam illum obligat, ideoque si Missam omittat, peccabit.

36. Urgebis: Ægrotus existimans se peccare omitendo Missam, si illam omittat, peccat, ut docet Bonacin. de Peccat. d. 2. quest. 4. punct. 6. num. 25. ergo etiam in carcere detentus, si existimet se peccare in omissione Missæ, peccabit, si omittat. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia infirmus habet libertatem audiendi Missam, licet cum dispendio salutis: hanc autem libertatem non habet incarcerationis, sive in carcere publico, sive in privato, imò & in domo sua ratione juramenti, quo se astrinxit, ut tenet P. Tolet. sum. lib. 6. cap. 9. num. 1. §. Prima causa. ideoque omnes hi excusantur defectu libertatis.

37. Inferes: Ergo qui manu ab alio violenter motâ Clericum percuteret; aut incensum idolo offerret, non peccaret; neque in percussione Clerici excommunicationem incurreret. Respondeo concedendo illationem: neque enim ita Clericum percutiens peccaret ob defectum libertatis; neque excommunicationem incurreret, quia hæc sine peccato gravi non incurritur: neque ob eundem defectum libertatis committeret peccatum infidelitatis.

38. Quid autem, & quotuplex sit infidelitas dicitur eam D. Thom. 2. 2. quest. 10. art. 5. P. Valent. d. 1. ibid. quest. 10. punct. 3. P. Soar. de Fide, d. 16. sect. 4. Bannez, Bonacina, & aliis. P. Sal. de Fide, d. 2. tr. 4. punct. 1. num. 1. & 2. Ubi illam in tres species accidentaliter tantum distinctas dividit. Prima dicitur Paganismus, consistitque in eo, quod nullius mysterii revelati fidem habeas. Secunda dicitur Judæismus, qui consistit in eo, quod quis credat veteri, non tamen novo Testamento. Tertia est Hæresis, quæ consistit in eo, quod quis neget aliquam, vel aliquas tantum veritates, sive in veteri, sive in novo

Tom. 2.

Testamento revelatas. Apostasia verò tunc datur, ut ibidem docet P. Pal. num. 10. cum P. Soar. cit. sect. 5. num. 3. P. Sanchez. lib. 2. decal. cap. 7. num. 15. quando quis totam Christi fidem, ejusque nomen abnegat, sicque non dici de eo, qui retinens Christianum nomen à Christo discedit. Utrum autem teneatur in Confessione explicare, se incidisse in Apostasiam: sufficiat dicere, incidisse in hæresim? Hoc secundum affirmat Diana p. 1. tr. 7. resol. 54. quatenus asserit, non differre specie ab hæresi, contra Ledesma, P. Valent. tomo 3. d. 1. q. 11. punct. 1. & quest. 10. punct. 3. S. His ita. P. Soar. de Fide, d. 16. sect. 5. sine. P. Sanchez. lib. 2. decal. cap. 7. num. 17. asserentes, hanc circumstantiam esse in Confessione apericiendam: aut quia specie differt ab hæresi, ut tenet P. Soar. cit. aut quia multum aggravat. Imò addit P. Sanchez cit. debere explicare, ad quam sectam transferit. Illud certum est, quod, ut aliquis sit hæreticus, non tamen punibilis ab Ecclesia, non oportet, quod prius fuerit baptizatus. Ita P. Pal. cit. d. 3. punct. 2. num. 20.

Argues 2. Dæmones peccant, licet non puniantur propter peccata post eorum damnationem commissa, ut cum communi docet P. Arr. de Angel. d. 25. sine. & tamen non habent libertatem; si quidem non possunt non peccare; ergo etiam pastor, licet non habeat libertatem ad vitandum peccatum, adhuc peccabit. Respondeo negando minorem; nam dæmones habent libertatem, saltem physicam, id est, voluntatem cum perfectâ cognitione malitiæ, & illis non repræsentatur unum peccatum necessarium ad aliud vitandum: at verò ille pastor, licet etiam haberet libertatem physicam, illi tamen repræsentaretur unum peccatum ut omninò necessarium ad aliud vitandum, ideoque non peccaret, sicut peccant dæmones tentando homines, quorum singuli suum habent dæmonem tentatorem à die conceptionis, ut docet P. Soar. de Angel. lib. 8. cap. 21. num. 30. & 32. licet hoc non sit ita certum, sicut certum est, (quamvis non sit de fide) quod unusquisque hominum suum habeat Angelum bonum custodem, ita ut contrarium affirmare, sit temerarium, ut docet P. Soar. lib. 6. de Angel. cap. 17. num. 8.

Argues 3. Christus Dominus non poterat non obedire Æterno Patri; & tamen ex eo, quod liberè faceret hunc, aut illum actum, habebat sufficientem libertatem ad meritum; ergo etiam in illo pastore esset sufficiens libertas ad peccatum, quatenus liberè poterat, aut Missam, aut gregem omittere. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Christus Dominus non erat determinatus ad actus æqualis perfectionis; alioqui non haberet rationem meriti; siquidem non est dignus laude, ac proinde neque merito, qui est necessitatus ad unum actum obedientiæ, & non potest nisi talem, aut æqualem actum elicere; cum igitur Christus Dominus haberet libertatem ad plures actus inæquales, etiam habebat sufficientem libertatem ad meritum: at verò pastor ille esset determinatus ad unam culpam, aut aliam æqualem committendam, sicque ad utramque partem necessitatus, ita ut quamcumque partem eligeret, non illam eligeret imprudenter; siquidem licet tenderet in objectum malum, non tenderet in illud, ut possibile vitari. Vide P. Arriag. d. 22. de conscient. num. 19.

Hæc interim de libertate Christi Domini in ordine ad actus meritorios, hæc enim quæstio ad materiam de Incarnatione spectat, ubi de illa, utpote præcipua, & satis difficili, latissimè agunt Theologi, & nos ibi agemus cum illis, interim videri possunt

possunt de hac re. *P. Sarr. de Incarnat. d. 37. sect. 7. P. Vasq. ibid. d. 74. & alii apud P. Lugo de Incarnat. d. 26. & 27. per totas.* Illud tamen advertendum est, traditam doctrinam etiam procedere, quando homini utraque pars repræsentaretur æquæ dubia, & periculosa. Ita *P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 11. n. 14.* Ubi cum *Adrian. supra cit. ait,* quando utraque pars æquæ dubia est, & æquæ alicui periculosa, ad quam obligetur, cum non exponi periculo, & culpam evadere, utramvis partem amplectatur; siquidem non liberè periculum amat, quod vitare nequit.

### SECTIO VIII.

*Utrum Confessarius pœnitentem;  
& quilibet homo particularis  
teneatur admonere proximum  
Conscientiâ erroneâ laboran-  
tem?*

143.



LIQUI Confessores sunt adedò imprudentes, ut videntes pœnitentem Conscientiâ erroneâ laborantem, statim illum moneant, non sine maximo damno ipsius pœnitentis, qui tali cognitione veritatis non utitur ad emendationem, imò ei occasionem præbet ad culpam; quem enim antea bona fides, & conscientia erronea excusabant, postea mala fides, & conscientia recta accusant. Unde consideratione, & prudenti iudicio opus est, priusquam pœnitentibus veritas manifestetur. Igitur.

144.

Certum est primò, quod Confessarius, si à pœnitente interrogetur, tenetur veritatem aperire, quamvis sciat non profuturam. Quod verum est, etiam quando pœnitens habet dubium; siquidem jam conscientia pœnitentis læsa est illo dubio; sicquæ taciturnitas Confessarii esset erroris approbatio. Ita *Sor. in 4. dist. 18. quest. 2. art. 4. ad 2. Ledesm. Angles. Lopez. Rodrig. tomo 1. sum. cap. 62. num. 13. P. Henrig. lib. 6. de Pœnit. cap. 27. num. 5. & alii,* quos citat, & sequitur *P. Sanchez lib. 2. de Matrim. d. 38. num. 14.* Addens, quando solum est scrupulus, verius esse, posse Confessarium tacere, aut respondere, ut scrupulum deponat; siquidem scrupulus non aufert bonam fidem, & ignorantiam invincibilem, sed solum quando conscientia est dubia cum sufficienti fundamento.

145.

Secundò certum est, quod Confessarius non potest dissimulare, imò & tenetur admonere pœnitentem de errore, seu ignorantia, quando hæc est vincibilis, & culpabilis, quamvis admonitio non sit profutura; siquidem pœnitens tunc est in malo statu, & incapax absolutionis; ergo debet Confessarius illum monere ut respiciat, & sic Confessarius suo muneri satisfaciat. Ita *Medin. de Confessi. tract. 2. Sor. in 4. dist. 18. quest. 2. art. 4. ad 2. Ledesm. 2. p. quest. 8. art. 4. dub. 8. Aragon. 2. 2. quest. 33. art. 6. conclus. 4.* quos citat, & sequitur *P. Sanchez lib. 2. de Matr. d. 38. num. 2. Addens num. 4. cum P. Henrig. lib. de Pœnit. cap. 28. num. 1. idem dicendum, si pœnitens ex conscientia erroneâ credat aliquid esse peccatum mortale, cum tamen non sit; siquidem pœnitens accedit ad Confessarium tanquam ad Doctorem, & Vicarium Dei, cum sit illius pastor, aut pastoris vices gerens, ut ab ipso instruat; ergo infideliter ager, si non instruat, sed tacens absolvat*

sic errantem, videbitur enim suâ taciturnitate illius errorem approbare.

Tertiò etiam est certum, quod Confessarius tenetur pœnitentem admonere, si conscientia erronea sit circa rem, quæ est necessaria necessitate mediæ ad salutem, vel ad confessionem, ut si erret credendo, non esse necessarium Baptismum ad salutem: aut contritionem, vel attritionem ad Sacramentum Pœnitentiæ; siquidem pœnitens in eo statu esset incapax absolutionis; ergo deberet Confessarius illum de suo errore monere, & instruere circa mysteria fidei, actum contritionis, & attritionis. Ita cum communi *P. Bard. discept. 3. cap. ult.* Qui autem jurant falsò in materia levi existimantes non esse mortale, ut contingit in pueris, satis erit illos in bona fide relinquere. Ita de hac re Viri doctissimi.

Solum igitur est questio, quando conscientia erronea versatur circa alias res, quarum ignorantia pœnitentem non reddit incapacem absolutionis, & remissionis peccatorum, ut si Petrus v. g. matrimonium contraxit cum impedimento dirimente, quod ipse per ignorantiam invincibilem non agnovit, neque agnoscit: An scilicet in tali casu teneatur Confessarius Petrum admonere de suo errore?

Conclusio sit: In tali casu (sicquæ in aliis similibus) si nullum timeatur damnum, aut incommodum, tenetur Confessarius veritatem aperire: non ita tamen tenetur aperire, imò tacere veritatem, idquæ five ignorantia illa sit invincibilis juris humani, aut facti, five juris Divini, & naturalis, ut docent *Adrian. quodlibet. 5. art. 2. litt. F. Navar. sum. cap. 22. num. 83. & cap. Si quis autem, de Pœnitent. dub. 7. num. 71. Covar. 4. decret. 2. part. cap. 6. §. 10. num. 15. Medin. tract. 2. de Confessi. Sor. in 4. dist. 18. quest. 2. art. 4. ad 2. Cano, Ledesm. Cordub. Angles. Rodrig. sum. tomo 1. cap. 62. num. 13. P. Henrig. lib. 6. de Pœnit. cap. 27. num. 4. & cap. 28. n. 1. comment. litt. B. & alii,* quos citat, & sequitur *P. Sanchez lib. 2. de Matr. d. 38. num. 1. 6. 7. 8. 9. & 10.* si ex manifestatione veritatis timerentur gravia damna, & scandala, ruina spiritualis ipsius pœnitentis, aut quia nolet petere dispensationem, & manebit in perpetuâ fornicatione; aut quia si velit, nolet iterum illud contrahere de novo, unde communiter sequuntur graves rixæ; tunc enim debet Confessarius tacere; imò si conjux nolit reddere debitum, debet illum obligare, ut reddat.

Probatur prima pars, quia munus Confessarii, cum sit Pastor, aut proprii Pastoris munus agat, est pœnitentem instruere; ergo cum spes proficiendi adsit, tenetur docere; ergo & veritatem pœnitenti aperire, quando ignorantia invincibili laborat, quæ licet nunc sit invincibilis, potest facillè vincibilis fieri.

Probatur secunda pars. Primò ex *D. Aug. lib. 50. homiliar. homil. 41.* habeturque in *cap. Si quis autem, 3. 3. quest. 3. dist. 7. de Pœnit. ibi: Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem.* Secundò, quia frustra niti, & nihil aliud, quam laborando odium quætere, extrema dementiæ est. Tertiò, quia sicut correctio ad correcti utilitatem ordinatur, & illius spe cessante, non obligat; ita admonitio ad bonum pœnitentis tendit; ergo cessante ipsius boni spe, non tenetur Confessor admonere; siquidem ratio mediorum à fine desumitur. Quartò, quia nulli debemus laqueum injicere ex *cap. de Viduis, 2. 27. quest. 1.* sed admonere in tali eventu, nihil aliud esset, quam pœnitenti laqueum, & offendiculum opponere;

opponere; siquidem constitutus in bono statu, & bona fide, Confessoris admonitio in malo, & periculoso constituetur; ergo &c.

151. Et hanc doctrinam extendit P. Sanchez. cit. n. 10. etiam ad casum, quo peccatum illud per ignorantiam invincibilem excusatum, esset in detrimentum proximi, si Confessor probabiliter existimet, suam monitionem non profuturam, ut si sciat, poenitentem possidere Majoratum bonâ fide; aut exercere usuras ignorantiam invincibilem, quia alios consuluit, qui illum in bona fide constituerunt, & aliunde videat, se monendo nihil profuturum, ut poenitentem restituat Majoratum, & acquisita per usuras, ab illisque abstineat in futurum, non debet monere, imò tenetur tacere. Imo addit idem P. Sanchez, hoc verum esse, etiam quando Confessor credit, poenitentem libenter monitionem suscepturum, videt tamen remedium esse difficillimum, ut si inde scandalum, & notabilis infamia sequatur.

152. Ut igitur Parochi, & Confessores cautè procedant in admonendis poenitentibus circa hos & similes casus, per unum, aut alterum casum illos monitos vellem; duo enim hujusce rei exempla factis horrenda adducit P. Comitolo. lib. 1. quæst. 112. Juvenis quidam solitus nocte fornicari cum ancillâ, ejus lecto invenit matrem suam, quæ ex filio ignorante filiam concepit, quam absente filio peperit, & educavit; post multos autem annos domum rediens filius, puellam illam, quæ soror, & filia illius erat, adultam invenit, & in uxorem duxit, dixerat enim mater, puellam illam esse extraneam; sed postea conscientia mater impedimenti matrimonium dirimentis, quando jam ex illo nati erant filii, consuluit P. Comitolum, qui respondit, oportere omninò dissimulare.

153. Cùm huic consilio deberet mater se conformare, non acquievit, sed rem ad Parochum ignorantem detulit, qui conjuges illos admonuit, & ut magis de ipsius Parochi ignorantia cogitaret, rem etiam detulit ad Judicem Ecclesiasticum, ex quo nihil inde ortum est præter infamiam, inimicitias, odia, & similia, quæ P. Comitolo fuerat auguratus.

154. Unde imprudenter se gessit mater, imprudentissimè autem Parochus, tum quia in tali casu tacere tenebatur propter inconvenientia securitatis: tum quia illius admonitio, & causæ delatio ad Judicem Ecclesiasticum nihil utilitatis allatura erat, scire enim debebat solius matris testimonio non posse matrimonium illud dissolvi; siquidem Ecclesia non solet matrimonia publicè contracta dissolvere, nisi certis adhibitis probationibus, licet unius tantum testis dictum sufficiat, ut valentes contrahere non admittantur, ut statim dicemus cum P. Sanchez lib. 1. de Matrim. d. 71. num. 1. & respondit P. Comitolo. cit. cùm de sequenti casu interrogaretur.

155. Quidam Pastor, (si non potius lupus macians, & perdens dicendus sit,) ex una femina filium, & ex alia filiam habuit, qui habentes jam ætatem sufficientem voluerunt inter se matrimonium contrahere, quorum consanguinitas soli patri erat nota, & à quo, factis jam denuntiationibus, petebant conjungi in matrimonium, à Parocho autem multi interrogati Theologi responderunt, quod poterat licet eos conjungere in matrimonio, contrarium opinante de eadem re consulto P. Comitolo, qui talium Theologorum errorem improbens, & confutans, respondit, debere Parochum apud Episcopum testificari, se certum esse de impedimento talium contrahentium, ipsamque Episcopum non posse illius testimonium juratum repudiare.

156. Et ratio est, quia impedimentum, ne matrimonium contrahatur, plenè probatur unico teste, ut habetur expressè cap. Super eo, 2. de testib. & attest. & cap. Præterea 2. de Sponsal. Et hujus ratio est, quia hic agitur de vitando peccato, ne impediti, contra Ecclesiæ prohibitionem contrahendo, peccent; ergo &c. Ita P. Sanchez. lib. 1. de Matrim. d. 71. num. 1. Additque, nullum in hac conclusione discrepare.

157. Advertit etiam P. Sanchez à num. 2. hoc idem dicendum esse: Primò, licet testis non fuerit citatus, sed per partem producentem Judici oblati. Secundò, licet nolit, parte citatâ, & publicè, ut debet testimonium ferri, juxta cap. 2. de test. sed clam, & absque nominis publicatione, testari, ut habetur in cap. Præterea, cit. & Glossa ibi. Tertiò, licet testis esset denunciator, & accusator, allegaretque turpitudinem suam, ut colligitur ex cap. Ad audientiam, de Sponsal. & ex cap. Juravit, de probat. & cap. 1. de consanguin. & ibi Doctores. Quartò, licet testis sit criminofus, ut constat ex cap. Præterea, 2. de Sponsal. ubi testis turpitudinem suam allegat.

158. Adhuc tamen aliqua qualitates debent concurrere, ut unus testis sponsalia perfici impediat. Prima est, ut deponat, nam si solum denunciaret, non impediet matrimonium, nisi probet de fama. Secunda, ut juret; parum enim creditur non juranti cap. Tua, de cohabit. Cler. & ibi: Host. Joan. Andr. Abb. Covarr. 2. decret. 2. part. cap. 6. §. 10. num. 21. Tertia, ut asserat cum juramento, se certò scire impedimentum; aliàs de solo auditu testificans, non impediret, nisi ad probandam consanguinitatem; tunc enim satis esset de auditu testari, si testificetur juxta formam cap. licet ex quadam de testib. Quarta, ne sit vilis persona; talis enim, etiam sponsalia non jurata perfici non impediret. Ita Panorm. cap. Præterea, 2. de Sponsal. cap. Cum in tua, eodem tit. num. 7. Unde Judex debet considerare qualitatem personæ testificantis, & an sibi displiceat matrimonium. Ita cum aliis P. Sanchez. cit. num. 12.

## SECTIO IX.

## Quid dicendum de quolibet particulari respectu proximi Conscientiâ erroneorantis.

159. ADVERTES, quod hæcenus diximus de Confessario respectu poenitentis, dicendum etiam esse de Prælatis, & Dominis respectu subditorum; hi enim tenentur ex officio monere, quando datur spes emendæ, & nullum sequitur inconveniens. Idem dicendum est de Parocho respectu sui parochiani, qui in suâ Parochiâ tantam habet potestatem, quantam Episcopus in suâ Diocesi. Ita Barbosa. de potest. Paroch. part. 1. cap. 9. idèdque ex justâ causâ potest suis Parochianis dare licentiam non jejunandi; & simplici Sacerdoti administrandi Sacramenta in sua Parochiâ, Confessione exceptâ. Ita Barbosa. cit. cap. 16. & 17.

160. Solùm igitur est præsens quæstio de illo, qui nullam in alios habet jurisdictionem, aut officium. Utrùm scilicet Petrus videns Paulum comedentem carnem Sabbatho; aut omittentem Missam in die festo, quia laborat ignorantia, sive vincibili, sive invincibili præcepti, teneatur illum admonere?

Dico I. Si Paulus laborat solâ ignorantia vincibili: 161. imò

imò & invincibili præcepti, speratur tamen admonitionem profuturam, tenetur Petrus, & quilibet alius illum monere. Ita *D. August. lib. 1. de Civit. cap. 9. D. Chrysoft. hom. 3. ad Hebr. D. Thom. 2. 2. q. 33. a. 3. Lorca d. 41. n. 15. P. Soar. d. 8. de Charit. sect. 4. num. 3. P. Azor. lib. 12. cap. 15. quest. 4. & 5. P. Valent. d. 3. quest. 10. punct. 2. P. Agid. de Charit. d. 28. dub. 4. à num. 38. P. Pal. tract. 6. de Charit. d. 3. punct. 4. num. 3. Probatur 1. pars, tum ex supra dictis: tum quia ignorantia vincibilis non excusat proximum à peccato; ergo cum sit in statu miseræ spiritualis teneris ei subvenire per admonitionem, ut respiciat.*

162. Probatur 2. pars. Primò, quia ad hoc obligat reverentia legis. Secundò, quia ignorantia illa invincibilis præcepti, licet culpæ non imputeretur, est quoddam malum; ergo & materia doctrinæ, correctionis, & objectum spiritualis elemosinæ per admonitionem. Tertiò, quia regulariter ex materiali transgressione legis fit quis facilis ad formalem illius transgressionem, sive ad peccatum; ergo si potest hoc periculum vitari, teneris. Quartò, quia si non admones, cum possis, tacite eam transgressionem approbas, & scandalum generas, id est, aliis occasionem præbes violandi etiam easdem leges; ergo &c.

163. Quamvis tamen huiusmodi rationes hanc sententiam probabiliorē faciant, etiam oppositam iudico probabilem, quam tenent de ignorantia invincibili *Bannez. dub. 3. quest. 33. art. 3. Navar. cap. 24. n. 12. & 13. P. Valent. cit. Villalob. tract. 4. diff. 4. n. 6. Bonac. d. 3. de Charit. quest. 4. punct. 7. num. 10. apud P. Pal. cit. num. 2. Probatur primò, quia proximus tunc non est absolute in statu miseræ spiritualis, cum non peccet. Secundò, quia præceptum correctionis est de peccato proximi juxta illud Matt. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum*; ergo ubi non est peccatum, neque obligatio admonendi.*

164. Hinc colliges huiusmodi hominem sic ignorantia invincibili præcepta violantem nullas penas incurrere, si talia præcepta violantibus sint imposta; siquidem nullæ penæ ignorantibus per jus statuuntur; penæ autem non incurruntur, nisi sint expressæ in jure. Unde pater aut mater compellentes filiam ingredi religionem, incurrunt excommunicationem; non tamen si filium compellant; siquidem in Trid. imposta est pena sic compellentibus filias, non autem filios. Ita *Barbof. in Trid. sess. 25. cap. 18. n. 6.*

165. Similiter filia nubens etiam digno absque parentis consensu ante vigesimum quintum annum ætatis suæ: aut si ante prædictum annum rem habuerit cum viro, exheredatur in totum: si verò nubat digniori, solum exheredatur quoad dimidiam partem legitimæ: non tamen quoad alimenta vitæ necessaria; siquidem hæc sunt debita jure naturæ; legitima autem solum jure civili, & post mortem patris: quas tamen penas non incurrunt filii, quia contra filios non sunt in jure expressæ, sed solum contra filias. Vide *P. Fragos. part. 1. d. 4. lib. 2. §. 2. à num. 283. ubi latè, & crudite de hæc materia etiam de jure nostro Lusitano ad lib. 4. Ordinat. tit. 88. num. 1.*

166. Ex dictis colliges primò, si pena sit imposta minori crimini, non extendi ad crimen majus, nisi sit in jure expressa, etiam si in illo sit eadem ratio, ut docent *Anton. cap. fin. num. 58. de Consuet. Castro lib. 1. de lege penali cap. 7. docum. 3. argumentum enim à simili in pœnis non valet, ut docent Gloss. regul. in penis. 49. de regul. jur. in 6. P. Mol. tom. 1. de Just. tract. 2. d. 176. §. Quartò.*

Dices: Lex statuens divortium adulterii causâ, extenditur etiam ad sodomiam, quæ est peccatum gravius; sufficit enim sodomia ad divortium, ut cum multis docet *P. Sanchez lib. 10. de Matr. d. 4. num. 3. ergo pœna imposta minori crimini potest extendi ad majus, etiam si non sit in jure expressa. Respondeo primò negando antecedens, & ejus probationem, cujus oppositum tenent etiam multi apud eundem *P. Sanchez. cit. num. 2. Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam, in qua solum loquimur de legibus pœnam imponentibus: lex autem divortii non est propriè pœnalis, sed oritur ex ipsamet natura contractus matrimonialis prohibentis omnem concubitum illicitum, qualis est sodomia.**

Colliges secundò, Clericum accipientem Ordines ante legitimam ætatem per ignorantiam invincibilem, nullam incurrere pœnam, quia nullam committit culpam: & cum prout sic non sit in necessitate spirituali, etiam si scias defectum ætatis, non teneris illi succurrere per admonitionem juxta probabilem. Præsertim quando nullum timetur damnum tertie personæ, aut scandalum; siquidem & ipse, & alii existimant habere legitimam ætatem; sicque ex nulla parte detur consensus in peccatum, cum detur error invincibilis; nihil autem magis contrarium est consensui, quàm error ex *l. Si per errorem. ff. de jurisd. omni. jud.*

Dico 2. Si nulla detur spes fructus, & emendationis, non teneris; imò impudenter facies, si tali ignorantia laborantē admoneas. Est contra *Panorm. cap. Novit. de judiciis, & Adrian. illam tamen ut communem tenent Doctores cum *D. Thom. 2. 2. quest. 33. art. 6. P. Soar. d. 8. de Charit. sect. 3. num. 2. P. Pal. tract. 6. de Charit. d. 3. punct. 5. num. 1. & alii supra cit. num. 148. Probatur primò ex illo Proverb. 9. *Noli arguere derisorem. Et ex D. Aug. in cap. Si quis autem. 33. quest. 3. dist. 7. de penit. ibi: Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem. Secundò, quia talis actus esset otiosus; ergo non solum negativè, sed etiam positivè, sive contrariè cessat obligatio admonendi; & esset dare *Santum canibus. Tertio, quia cessante intrinseco fine legis, cessat obligatio; sed intrinsecus finis admonitionis ibi cessat; siquidem potius lædo, quàm profum; ergo &c.****

Hinc est, quod mater adultera non tenetur monere maritum, aut filium illegitimum, et relinquat hæreditatem: tum quia nemo tenetur se prodere, præsertim cum periculo vitæ, aut infamiae: tum quia filius non tenetur credere matri dicenti, se esse spurium, licet sciat eam esse adulteram ex *cap. officii. 9. de penit. & remission. & Gloss. ibi: & factentur omnes Canonistæ in cap. Per tuas. 10. de probation. & Jurisperiti in l. Si posthumus. 14. ff. de liber. & posthum. nisi convincatur testibus, quibus mater probet, parentem toto illo tempore abfuisse, ut docet *P. Less. lib. 2. de just. cap. 10. n. 50. tum etiam, quia mater potest sibi persuadere, filium, etsi animo credat, verbis tamen negaturum. Imò licet sit spes certa per revelationem criminis damnis hæredum occursum iri, non tenetur illud patefacere, si sibi putet periculum vitæ, aut infamiae impendere: secus tamen si non impendat, quod rarissimum est. Vide de hac re *P. Less. cit. dub. 6. & 7. & P. Vasq. in opuscul. de testam. cap. 5. §. 1.***

Dubium tamen est: qualis spes fructus requiratur, ut tenearis admonere? Imprimis non requiritur necessariò, quod fructus ex admonitione statim speretur, sed sufficit si decursu temporis speretur. Ita *P. Soar. de 8. de Charit. sect. 3. n. 3. P. Pal. de Charit. tract. 6. d. 3. punct. 5. num. 2. P. Sanchez lib. 3. de Matr.*

*Matrim. d. 13. num. 3.* Secundò requiritur, quod spes fructûs sit certa, aut saltem probabilis; non tamen sufficit dubia; siquidem in dubio nocumenti, aut fructûs, non est à quo oriatur obligatio admonendi, cum admonitio ad fructum, ut ad finem tendat. Addit tamen *P. Valent. 2. d. 3. quest. 10. punct. 2. §. Altero modo*, nisi dubius de profectu admonitionis, certus tamen sis non obfuturam; tunc enim teneris: sicut Medicus tenerur medicinam ægroto adhibere, de qua certus est, non obfuturam, sperat tamen sub dubio profuturam. Ita cum multis *P. Pal. cit. num. 3. 4. & 5.*

172. Sed quid dicendum in casu, quo peccator sit in extremis, & æquè dubitas de fructu admonitionis, ac de illius nocumento? Teneri te adhibere monitionem tenent *Lorca, Bannez, Bonacina, Villalob.* quos citat & sequitur *P. Pal. proximè num. 6. P. Soar. de 8. de Charit. sect. 3. num. 3. P. Valent. cit. P. Agid. d. 28. de Charit. dub. 6. num. 94.* Probat, quia nocumentum, quod sequitur peccatori ex suo peccato, non adhibita monitione, est certum, gravissimum, & irreparabile, cum sit damnatio æterna; nocumentum verò ex correctione timendum non est ita grave, ut fatis non compensetur spe, licet dubiâ, reparandi nocumentum illud æternum; ergo teneris admonere, non solum ut repares peccatum præsens, sed æternam damnationem. Confirmatur, quia Medicus ægotanti & de salute desperato, potest, & tenerur dubiam medicinam applicare; siquidem fructus potest esse maximus; nocumentum autem, quod timetur, nullius considerationis respectu fructûs sperati; ergo &c.

173. Advertes tamen primò, extra hunc casum, in quo proximus moriturus est in peccato mortali, non adhibita correctione, sive admonitione, te esse excusatum ab admonitione, quando datur, & tibi impendet periculum vitæ, honoris, aut fortunæ. Ita ferè omnes Doctores, *Arragon. 2. 2. quest. 33. art. 2. P. Valent. tomo 3. d. 3. quest. 10. punct. 3. sine. P. Henriquez lib. 3. cap. 27. num. 4. lit. I. Navar. cap. 24. num. 12. P. Filiuc. tract. 20. cap. 5. quest. 4. n. 141. P. Reginal. lib. 4. cap. 25. n. 357. & 358. Bannez. q. 33. art. 3. dub. 4. Mald. ibid. art. 3. sine. P. Azor. lib. 12. cap. 1. q. 3. Bonacim. in 1. decal. d. 3. q. 4. p. 7. num. 12. P. Pal. de Charit. d. 3. tract. 6. punct. 6. n. 1. P. Agid. d. 28. de Charit. dub. 6. num. 124.* Probat, quia præcepta Christi Domini, cum sint suavia, ut ipse dixit: Jugum enim meum suave est, non ita graviter, & cum tanto onere obligant. Confirmatur ex *D. Aug. lib. 1. de Civit. cap. 9.* Ubi docet, qui ob similem metum desinunt corripere, & admonere peccantes, etiam in eo casu, quo sperant, aliquos sua admonitione emendandos, non peccare damnabiliter, id est, mortaliter, licet insinuent eos quandoque peccare venialiter, quando scilicet ipsi illa mala minus prudenter timent.

174. Advertes secundò, plurimos ex eodem principio non corrigentes, & admonentes proximum, quia eos pudor, & verecundia occupat, ne admovent, excusari, saltem à peccato mortali, quâ etiam ratione excusamur in materia detractiois audientes, & non corrigentes detractorem. Ita *P. Valent. d. 3. quest. 10. punct. 2. §. Quarto. P. Sa verb. Correctio, num. 2. D. Thom. cit. art. 2. ad 3. P. Soar. d. 8. de Charit. sect. 3. n. 5. P. Pal. cit. n. 2. & alii.* Debet tamen pudor, & verecundia alicujus momenti esse, & quem facillè homo cordatus vincere non potest; alioqui si ob levem pudorem omittenda esset correctio, & admonitio; aut quia leve nocumentum adduceret delinquenti, qualis esset tristitia,

mercor, aut ira leviter culpabilis, nunquam fieret admonitio.

175. Quæres tamen hic: Utrum si proximus sit in extremis, & moraliter existimetur certum, posita admonitione, decessurum in gratia, secus verò in peccato moriturum, teneris illum admonere, etiam cum periculo propriæ vitæ? Affirmant *Bannez. 2. 2. quest. 33. d. 3. dub. 4. Sor. memb. 2. quest. 2. concl. 6. Navar. sum. cap. 24. num. 12. P. Valent. d. 3. q. 10. punct. 2. §. Tertio. P. Agid. d. 25. de Charit. n. 86. & d. 28. dub. 6. num. 124. & 126. P. Soar. d. 9. de Charit. sect. 2. num. 3. Bonac. in 1. decal. d. 3. quest. 4. punct. 7. num. 12.*

176. Oppositum tamen valdè probabile tenent *Sor. de Secreto, membr. 2. quest. 2. post 6. conclus. P. Sa verb. Charitas, num. 4. Joan. Sanch. d. 10. num. 10. Villalob. tract. 4. sum. tom. 2. diff. 5. num. 6. Lorca d. 28. membr. 2. & d. 45. num. 7. quos citat, & sequitur P. Pal. tract. 6. de Charit. d. 3. punct. 6. num. 4.* Probat, quia impossibilis est necessitas ita extrema in peccatore, ut ego cum tanto damno tenear ei succurrere; siquidem sive ex malitia, sive ex ignorantia, sive ex passione peccet, semper divinis auxiliis adjutus potest à peccato resurgere, & vitam consequi; ergo si non consequatur, sibi, & non omitenti corrigere, tribuendum est; consequenterque ob periculum vitæ excusaris. Addit tamen *P. Pal. cit. cum Bannez, Sor. Navar. Torref. P. Valent. & Villalob.* excipiendos esse Prælatos, Superiores, & omnes illos, quibus ex officio cura subditorum incumbit, qui gravi necessitate interveniente, tenentur pro salute spirituali subditorum vitam temporalem offerre juxta illud *1. Joan. 3. Et nos debemus pro fratribus animas ponere.*

177. Dices: Teneris puerum in extremis constitutum baptizare, ne in peccato originali decedat, etiam cum periculo propriæ vitæ; & adultum etiam in extremis, cui difficilis sit contritio, Sacramentum ministrare; ergo &c. Resp. admisso primo exemplo; quoniam puer non habet aliud medium, quo liberetur à peccato, & vitam æternam consequatur; & negando secundum; siquidem adulto, licet sit difficilis, non tamen est impossibilis contritio, ad quam, & vitam consequendam, non ei deficient auxilia divina; ac proinde ei, non autem omitenti administrationem sacramentorum, & à fortiori admonitionem, tribuendum est, quod vitam non consequatur, cum possit.

178. Hinc colliges primò, non teneri à fortiori admonere, & corrigere peccatorem etiam in extremis cum periculo propriæ vitæ spiritualis, ut patet ex dictis, & ex illo *Matt. 16. Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, anima verò sue detrimentum patiarur*: tum quia non sunt facienda bona, ut veniant mala; sicut neque facienda mala ut veniant bona, sicut dixit *D. Paul. ad Rom. 3. 8.* Unde licitum nobis non est, etiam minimum peccatum veniale committere, ut grave proximi peccatum evitemus.

179. Secundò, non teneri corrigere, & admonere proximum, quando speras ab alio, aut à se ipso corrigendum; siquidem jam scis tua admonitione non indigere: sic enim non teneris eleemosynam pauperi dare, qui potest sibi necessaria acquirere, aut alii sunt, qui ministrent. Ita *Cajet. P. Valent. 2. 2. d. 3. quest. 10. punct. 2. P. Sa verb. correctio, P. Agid. d. 28. de Charit. dub. 6. num. 115.* quos citat, & sequitur *P. Pal. tract. 6. de Charit. d. 3. punct. 6. num. 6.*

180. Tertio, excusari te à correctione, & admonitione faciendâ, si speras alio tempore fructuosius proximum admonendum

admonendum, & corrigendum; tunc enim in tali dilatione negotium proximi facis, ejusque utilitati videris prospicere; etiamsi illo intermedio tempore proximus peccatum committat; siquidem hoc damnatum satis videtur compenlandum certitudine de majori profectu, & firmâ resurrectione à peccato. Ita D. August. lib. 1. de Civit. cap. 9. D. Thom. 2. 2. quest. 33. art. 2. ad. 3. Sylvest. verb. Correctio. n. 2. sine Navar. cap. 24. num. 13. P. Valent. 2. 2. d. 3. quest. 10. punct. 2. §. Sexta, P. Sa verb. Correctio, n. 5. Sor. quest. 2. de secreto, conclus. 6. Villalob. tomo 2. sum. tract. 4. differ. 3. num. 6. quos citat, & sequitur P. Pal. tract. 6. de Charit. d. 3. punct. 6. n. 6. & 7.

## SECTIO X.

*Utrum possit homo delectari, & gaudere de opere ex se malo, facto tamen ex Conscientiâ illud bonum existimante?*

181.



ADVERTENDUM est primò, in quolibet homine duplicem dari appetitum, prout alibi diximus in Philosophia: alter dicitur appetitus superior, seu rationalis, & idem est, atque voluntas: alter verò dicitur appetitus inferior, seu sensitivus, qui in homine, & bruto est ejusdem speciei. Secundò, delectationem esse quemdam actum, quo animal cognoscens, se possidere bonum, quod optaverat, de eo gaudet; distinguque delectationem à gaudio, quatenus gaudium sumitur pro delectatione appetitus rationalis; delectatio autem solum datur in appetitu sensitivo, licet Authores aliquando confundant gaudium cum delectatione. Ita P. Arr. de Actib. human. d. 29. num. 37. His positis.

182.

Dico 1. Licetum est habere delectationem, & complacentiam de effectibus sibi utilibus relictis ab actu malo facto per conscientiam erroneam, v.g. Petrus occidit patrem suum putans invincibiliter esse feram, ex cujus morte secutus est Petro bonus effectus, nempe hæreditas paterna, potestne Petrus gaudere de isto effectu, nempe de hæreditate sibi proveniente ex morte illa patris, sicque de similibus, dummodo gaudium non tendat in eorum causas? Affirmative. Ita cum communi P. Bard. discept. 3. cap. 4. Adde, hanc doctrinam esse veram, etiam quando tales effectus sequuntur ex opere malo scienter facto, & cum peccato. Unde potest quis licite gaudere de filio habito ex fornicatione; de sanitate secuta ex pollutione voluntaria; de hæreditate obveniente ex occisione injusta parentum, & sic de similibus. Vide P. Fagun. lib. 9. decal. cap. 4. Hinc etiam est, valere votum, quo adulter voveret dare largam elemosynam, si ex adulterio nasceretur filius.

183.

Probatur conclusio primò, quia hujusmodi effectus sunt boni; ergo etiam delectatio de illis bona erit. Secundò, quia licite dolere possumus de aliquo effectu habente malitiam naturalem, sive poenalem, orto ex observatione alicujus præcepti, nempe de egestate, aut infamiâ orta ex solutione pecuniæ debitæ; de aegritudine, & labere orto ex observatione jejunii, & similibus effectibus malis ex bona causa secutis; ergo etiam è contra possumus licite gaudere de effectibus bonis natis ex causâ malâ.

184.

Dico 2. Etiam possumus gaudere de causa malâ talium effectuum, quam dedimus sine peccato,

quatenus per conscientiam erroneam credebamus non esse peccatum, cum tamen esset: Omisit v. g. Petrus Missam in die festo, aut fornicationem commisit putans non esse peccatum, potest Petrus gaudere de tali omissione Missæ, aut fornicatione, si talis delectatio solum tendat in negationem actus formaliter mali, idest, si voluntas gaudeat, quod tales actus exercuerit cum ignorantia, & sine culpâ. Ita P. Bard. cit.

185.

Probatur, quia objectum talis delectationis est honestum; siquidem perinde est, ac si voluntas gaudeat, se non commisisse culpam; sed non commisisse culpam, non solum est licitum, & honestum, sed etiam laudabile; ergo de tali objecto potest Petrus & licite, & laudabiliter delectari. Confirmatur, quia qui in somnis passus est pollutionem, potest postea gaudere, quod pollutionem illam non commiserit in vigilia; ac proinde fuisse sine culpâ, quod gaudium est laudabile; ergo &c.

186.

Majus tamen dubium est: Utrum licita sit talis delectatio, & complacentia immediatè tendens in ipsam causam malam talium effectuum, nempe in homicidium, ex quo subsecuta est hæreditas, & in adulterium, aut fornicationem, ex qua natus est filius? Dico 1. Si homicidium (idemque de aliis) fuit scienter, & liberè commissum, illius delectatio, & complacentia est mortaliter peccaminosa. Ita D. Thom. 1. 2. quest. 74. art. 8. P. Vasq. ibid. d. 109. cap. 3. P. Azor. lib. 4. cap. 6. quest. 1. D. Bonaven. in 2. dist. 24. 2. punct. num. 53. Durand. ibidem, q. 6. num. 5. Conrad. & Caiet. art. 8. Sylvest. Armil. Sor. Navar. P. Less. lib. 4. de just. cap. 3. dub. 15. n. 112. & alii, quos citat, & sequitur P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 2. num. 9.

187.

Probatur primò, quia talis delectatio est actus humanus liber de objecto malo; ergo totam illius malitiam participat; consequenterque mala, & illicita est. Secundò, quia malum mortale, utpotè à recta ratione discordans, debet voluntati rectæ displicere; sed voluntas delectationem ex illo capiens, illud tanquam sibi gratum approbat; ergo peccat; ac proinde illicita est talis delectatio. Tertiò, quia actus delectationis internæ est motus quidam in rem illicitam; sicut ipsa actio externa rem illicitam exequens; ergo est ejusdem malitiæ cum illa, & æque illicita.

188.

Dico 2. Si homicidium (idemque de aliis) inculpabiliter accidit, ut si Petrus v. g. somno, aut ebrietate occidit hominem, habuit pollutionem, aut quodlibet aliud malum ex se grave fecit, putans invincibiliter non esse malum, & postea jam sciens illos actus fuisse malos, de illis delectetur, talis delectatio erit mortaliter peccaminosa, si fiat sine ullo bono fine. Ita Adrian. quodlib. 10. art. 2. proposit. 3. litt. M. Palud. in 4. dist. 9. quest. 3. art. 1. num. 7. Sor. ibid. dist. 12. quest. 1. art. 7. conclus. 6. vers. Non desunt. P. Azor. lib. 4. cap. 6. quest. 9. P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 2. n. 16. & alii, quos citat, & sequitur P. Fagun. lib. 9. decal. cap. 4. n. 16.

189.

Probatur, quia sola ignorantia, ebrietas, aut somnus excusabant à peccato actiones illas tunc factas; sed postea jam cessat ignorantia, somnus, & ebrietas; & actiones illæ agnoscuntur ut pravæ saltem materialiter; ergo delectatio de illis sic materialiter malis, cum in illas ut scienter malas liberè tendat non habens causam excusantem à malitiâ, mala, & peccaminosa erit.

190.

Dixi si fiat sine ullo bono fine, quia si ob aliquem bonum finem homo concipiat delectationem de prædictis actibus, multi tenent non esse peccatum. Ita Adrian. tract. de Euchar. q. Quia dictum, vers.

vers. His præmissis, P. Vasq. 1. 2. quest. 74. art. 8. d. 115. cap. 2. & 3. num. 7. P. Less. lib. 4. de just. cap. 3. num. 104. & alii apud P. Sanchez cit. n. 15. & P. Fa- gum. num. 18. Unde juxta hanc sententiam licitum est Petro gaudere, delectari, & desiderare, quod Tyrannus occidatur à furioso ob Reipublicæ pacem: quod Princeps ob eundem finem contrahat inculpabiliter matrimonium invalidum: quod ejus pater, aut per ipsum, aut per alium etiam inculpabiliter fuerit occisus ob hæreditatem inde obvenerentem: quod inculpabiliter ad non suam accesserit, & exinde filium habuerit Episcopum, nobilem, & divitem; idemque licebit fœminæ per vim oppressæ, ex cujus copulâ secutus est similis effectus; sicque in similibus; dicunt enim hoc non esse gaudere, aut delectari de peccatis, sed de bonis finibus exinde secutis.

191. Hæc tamen opinio, licet videatur probabilis, saltem extrinsecè, id est ex autoritate Doctorum, nobis tamen non placet, sicut non placuit Zumel. Cordub. Adrian. Palud. Sor. P. Azor. & aliis, quos citat & sequitur P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 2. n. 16. idque sive delectatio illa sit de rebus prohibitis jure naturali, nempe homicidio, & fornicatione; sive de prohibitis jure positivo, & humano, nempe de esu carni in die jejunii.

192. Probatur primò, quia quando dicunt, licitum esse gaudere, & delectari de illis actibus ob bonum finem, aut intelligunt, quod tale gaudium, & delectatio solum terminetur ad ipsum finem, sive effectum bonum subsequutum: aut ad illum simul, & ad causam malam, à quâ nascuntur, quales sunt illi actus pravi: Si primum, nihil differt eorum sententia ab eo, quod supra diximus de effectibus subsequutis ex actibus formaliter malis num. 182. Si secundum, (quod debent dicere, ut aliquid de novo dicant,) falsum est, quod delectatio, & gaudium de talibus actibus prout sic non sit peccatum mortale, ut patet ex proximè dictis num. 188. ergo &c.

193. Probatur secundò, quia quoties actus habet objectum, licet materiale & partiale malum, malus est; sic enim malus est actus, quo quis desideraret furari, ut elemosinam daret, licet habeat objectum formale bonum, nempe finem dandi elemosinam, solum quia objectum materiale, nempe furari, est malum; sed tale etiam esset objectum materiale illius delectationis; ergo & illa mala esset, licet etiam tenderet in aliquem finem bonum. Confirmatur, quia ex P. Sanchez cit. num. 16. regula generalis est, ut omnis delectatio de actu pravo sit prava, in qua non datur excusatio, quæ excusabat ipsum actum pravam à malitia, in quem ipsa tendit; sed non ita daretur in prædicta delectatione, ut ex terminis questionis patet; ergo &c.

194. Objicies 1. Talis est actus, sive delectatio, quale est opus, sive objectum, de quo habetur; sed opus, & objectum, de quibus talis delectatio habetur, non fuerunt mortalia; siquidem fuerunt habitata in somno, aut ebrietate; ergo neque mortalis erit delectatio. Respondeo talia objecta fuisse ex se mortalia, licet non ita fuissent per accidens ex ignorantia, somno, aut ebrietate, ex quibus excusationem habuerunt; cum autem jam non habeant istam excusationem, jam sunt, sicut ex se semper fuerunt, mala, idèque malum est de illis prout sic delectari, & gaudere.

195. Instabis: Licet isti actus sint ex se mali, tamen per accidens caruerunt aliquando peccato; ergo ista peccati carentia communicabitur delectationi in illos tendenti, eritque licita. Respondeo negando consequentiam; ut enim talis carentia peccati,

Tom. 2.

quæ fuerat in ipsis actibus communicaretur pro tunc eorum delectationi, debebat pro tunc in ipsis actibus dari, cum autem non detur, quia pro tunc non dantur in illis causæ illæ excusantes, idèd non potest delectationi communicari, neque fieri licita.

196. Objicies 2. Actus, quo quis furatus est, ut elemosinam daret, putans per conscientiam erroneam invincibilem sibi licere, potuit esse meritorius; ergo poterit de illo delectari, & gaudere. Respondeo dato antecedente, de quo jam supra, negando consequentiam; nam in tali actu duo sunt consideranda, nempe actus ipse voluntatis; & deinde illius objectum, & effectus secutus; de ipso actu voluntatis, & effectu secuto, si sit sublevatio pauperis, licitum erit gaudere; non ita tamen de illius objecto, nempe de furto, cum ex se sit, & semper fuerit turpe, licet antea per accidens propter conscientiam erroneam honestum putaretur.

197. Objicies 3. Licet adorare hostiam non consecratam sit ex se malum, tamen si Sacerdos illam exponat populo publicè adorandam, ego licet, & sine peccato possum illam adorare; ergo etiam licet illi actus sint ex se mali, delectatio de illis poterit esse bona. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia licet Sacerdos ille scienter sic exponens adorandam hostiam non consecratam gravissimè peccet, non ita peccat populus, quem ignorantia excusat; alioqui sæpè timeremus peccatum, cum adoramus aliquam hostiam publicè expositam; potest enim contingere quod non sit consecrata; idèdque non est de fide, quod Christus Dominus sit in hac hostia, quæ servatur in hoc sacrario, sed solum est de fide, quod sit in omni hostia ritè consecrata: at verò in illo, qui delectaretur de illis actibus, non daretur similis ignorantia, ut supponimus, sicque delectaretur de illis, ut sunt ex se saltem materialiter pravi; ac proinde mala esset talis delectatio.

198. Inferes: Ergo si talis delectatio est mortaliter peccaminosa, tenebitur homo confiteri speciem peccati, de quo habuit talem delectationem; hoc autem est falsum; ergo &c. Respondeo concedendo illationem cum Caiet. 2. 2. quest. 154. art. 4. sine D. Antonin. 2. part. tit. 5. cap. 1. §. 6. Sor. in 4. dist. 18. quest. 2. art. 4. Navar. sum. cap. 16. n. 9. P. Azor. lib. 4. num. 6. quest. 3. quos citat, & sequitur P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 2. num. 11. quidquid in contrarium dicant P. Vasq. 1. 2. quest. 74. art. 8. d. 112. cap. 2. P. Sa verb. Confessio, num. 16. Sayr. in clavi, lib. 8. cap. 9. & probabile valdè dicat P. Less. lib. 4. de just. cap. 3. num. 123. Et ratio est, quia ex Arist. lib. 10. Ethicor. cap. 3. ad finem, & cap. 5. ejusdem bonitatis & malitiæ sunt operatio, & ejus delectatio; sed homo tenetur confiteri speciem malitiæ operis peccaminosi; ergo etiam speciem malitiæ, quam habet delectatio de tali actu peccaminoso.

199. Addit tamen P. Sanchez & P. Azor. si delectatio feratur in objectum secundum totam suam malitiam, totam, & integram habere ipsam delectationem, totamque fatendam esse, ut si quis delectetur de concubitu cogitato cum conjugatâ, consanguineâ, & moniali, tenetur has omnes circumstantias fateri: si autem delectatio feratur in objectum solum secundum partem malitiæ, ut in fœminam, non suam, &c. solam ipsam malitiam fornicationis simplicis tenebitur fateri.

200. Utrum autem, si quis commisit homicidium, aut adulterium, de quibus postea delectatur, satisfaciat in confessione dicens, se habuisse illas delectationes de homicidio, aut adulterio, quin explicet, tale

tale homicidium, aut adulterium fuisse à se commissum, supposito quod jam talia peccata fuerit confessus? Affirmativè. Ita quatuor sapientissimi Doctores Academiæ Eboensis de hac re consulti, dum quædam formina confiteretur, se habuisse delectationem de quodam adulterio, volebat tamen declarare, an ipsa tale adulterium commiserit. Et ratio est, quia talis poenitens solum tenebatur aperire, & declarare suam conscientiam; sed satis illam prout sic declarabat; siquidem fuisse adulterium à se commissum jam fuerat semel subjectum clavibus; ergo &c.

## SECTIO XI:

*Solvuntur aliquot argumenta contra præcedentem doctrinam.*

201.



ARGUES I. Licitum est homini desiderare oblivionem alicujus præcepti, ut sic ab illo excusetur: ut si Sacerdos optet oblivionem Officii Divini, jejunii, annuæ confessionis, & similibus; ergo etiam licitum erit delectari de actibus supra dictis, & explicatis. Respondeo negando antecedens; alioqui etiam licitum esset desiderare oblivionem legis prohibentis fornicationem, ut fornicatio fieret sine culpâ, quod tamen est absurdum.

202.

Instabis: Licitum est desiderare dispensationem præcepti; ergo etiam illius oblivionem. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia dispensatio tollit, non solum malitiam formalem, sed etiam materiale; siquidem ommissio Missæ ex dispensatione, neque imputatur ad culpam, neque est ex se mala: at verò ommissio Missæ, jejunii, & similis præcepti ex oblivione, licet non sit mala formaliter, quia non imputatur ad culpam, adhuc tamen est ex se mala, suppositâ prohibitionem, quam tollit dispensatio, non autem oblivio, licet excuset, ideòque cum adhuc maneat tota malitia objectiva, seu materialis, & tempore delectationis non detur de illa oblivio, quæ excuset, desiderare talem ommissionem erit peccatum.

203.

Argues 2. Licitum est desiderare pollutionem futuram in somno, aut aliter inculpabiliter contingentem, & de illa prout sic gaudere ob bonos fines, nempe ob corporis sanitatem, aut tentationes sedandas; ergo etiam ob finem bonum gaudere de homicidio, fornicatione, aut aliis actibus malis, quos conscientia erronea excusat à peccato, & malitiâ formali. Respondeo cum Doctoribus infra citandis, de to antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia talis pollutio naturaliter evenit, & nullatenus est actus hominis, neque ejus voluntati subjectus, sed actus quidam, & evacuatio naturalis, sicut est evacuatio sanguinis, vel sudoris, ideòque illam prout sic desiderare, & de illa gaudere, non est peccatum: at verò homicidium, & fornicatio non sunt actus naturales, sed suapte naturâ liberi, & hominis voluntati subjecti, actus verò, qui non naturales, sed suapte naturâ sunt liberi, & ex se mali, non possunt licite desiderari, neque de illis delectari.

204.

Hæc doctrina est satis probabilis propter auctoritatem Doctorum, dummodo talis pollutio nullo modo desideretur, aut homo de illa delectetur ob voluptatem, neque illam procuret, ad illam juvet, aut aliquid faciat eo fine, ut illa eveniat; neque illam ita desideret, ut ex vi illius desiderii disponatur, aut excitetur ad illam; sicque tale desiderium

debet esse omnino inefficax, quale solet esse desiderium illarum rerum, quæ non sunt in nostra potestate, neque ad illas consequendas ponimus dispositionem aliquam; licet P. Fagund. statim citandus doceat, posse pollutionem efficaciter desiderari antecedenter, ut eveniat in somnis propter corporis sanitatem, aut ad sedandas carnis tentationes.

205.

Cum his omnibus modificationibus, & limitationibus admittunt, licitum esse desiderare, & gaudere de pollutione habendâ, sive habitâ in somnis *Adrian. in 4. ubi de Euchar. quest. Ulterius videndum. vers. His præmissis. D. Anton. 2. part. tit. 6. cap. 5. sine. Sylvest. verb. Pollutio. Angl. Armil. Navar. sum. cap. 16. num. 7. 8. & 9. P. Tolet. sum. lib. 5. cap. 13. num. 4. & 8. P. Sa. sum. verb. Luxuria, n. 12. P. Vasq. 1. 2. quest. 74. art. 8. d. 115. cap. 3. num. 7. Sayr. clavi lib. 8. cap. 5. num. 15. P. Less. de just. lib. 4. cap. 3. num. 104. & 105. & quoad complacentiam de illa D. Thom. in 4. dist. 9. quest. 1. art. 4. quest. 1. ad 5. Palud. ibi quest. 3. art. 1. num. 10. & 12. & alii, quos citat, & sequitur P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 2. num. 18. & P. Fagund. lib. 9. decal. cap. 4. num. 23. qui addit cum P. Sanchez cit. num. 21. hanc sententiam esse veram, dummodo in tali complacentiâ, sive quando cogitatur de pollutione præteritâ, aut futurâ, non delectetur appetitus sensitivus delectatione venereâ, quæ tunc datur, quando fit commotio corporis, & spirituum vitalium generationi deservientium; siquidem tunc consensus in hanc delectationem semper erit mortalis.*

206.

Imò juxta hanc sententiam licitum est desiderare ob bonum finem, ut pollutio etiam in vigilia naturaliter eveniat, & postea de illa sic eveniente gaudere: quamvis licitum non sit gaudere de pollutione, habitâ etiam in somnis, alio impellente naturam, ut polluat, neque illam sic desiderare; siquidem prout sic non esset naturalis evacuatio. Ita P. Vasq. cit. n. 7. & 9. & P. Sanchez cit. num. 19. qui ibidem cum eodem P. Vasq. addit etiam admissio, quod sit mortalis delectatio de homicidio, & fornicatione in somno admissis, aliud dicendū esse de pollutione, si ex vi naturæ sequatur, aut ex aliquo accidente, aliave causa habenti alium effectum, quam homo non tenetur vitare ratione pollutionis subsecuturæ, licet inde illam subsequi agnoverit; siquidem homicidium, & fornicatio sunt secundum se mala: pollutio autem, quæ sequitur vi naturæ, non est per se mala, sicut neque illa, quæ sequitur per accidens ex aliquâ causâ non ordinatâ ad ipsam, & quæ non est necessariò vitanda ratione pollutionis præviæ.

207.

Hiuc colliges primò, quoties pollutio sequitur præter intentionem ex causa aliqua necessaria, aut convenienti corpori, ut est cibus, & potus moderatus; aut necessaria, & convenienti animæ, ut orare, & studere; aut utilitatis, ut audire confessiones, sceminas cautè, & cum necessitate alloqui, & similibus, nullam esse culpam non desistere à talibus causis, licet in illis prævideatur pollutio inde subsequenda. Ita D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 5. Caiet. opuscul. tomo 1. tract. 22. quest. unica art. 1. & 2. Abul. D. Anton. Tabien. Armil. Navar. Medin. Zuzuel. P. Vasq. 1. 2. d. 115. num. 8. P. Valent. 2. 2. d. 9. quest. 3. punct. 3. §. Cùm autem, & plures alii, quos citat, & sequitur P. Sanchez lib. 9. de Matr. d. 45. num. 4. Primò, quia tunc pollutionem potius patitur, quam agat, quatenus ex naturæ infirmitate procedit, ut testatur D. Greg. respons. 1. ad August. & refertur cap. Testamentum, dist. 6. Secundò, quia effectus per accidens, ac præter intentionem subsecutus,

subsecutus, non imputatur jus suum prosequenti; ergo ob pollutionem non intentam arcendus non est quis, ne plerâque actiones sibi, vel proximo convenientes, ad quas jus habeat, exerceat; alioqui multæ actiones necessariæ & utiles essent omitte-  
tendæ, ac innumeri laquei nobis injicerentur in actionibus humanis exercendis.

208. Colliges secundò, hoc idem dicendum, licet causa illa licita, in quâ pollutio prævidetur, sit ex circumstantiâ extrinsecâ illicita, quæ nihil ad pollutionem conferat, ut si quis confessiones audiat ob vanam gloriam, aut cibos necessarios sumat violando jejunium. Primò, quia talis actus de se est licitus, & circumstantia illa nihil influit, quo pollutio subsequatur, sed potiùs ex naturâ infirmitate procedit. Secundò, quia ea ciborum sumptio in die non jejunii, non imputatur culpæ, ratione pollutionis in ea prævisæ; ergo neque sic imputabitur, licet in ea jejunium violetur. Tertio, quia damna non imputantur prosequenti jus suum, licet aliunde peccet, ut patet in iudice puniente reum ob iram; ergo &c.

209. Colliges tertio, expertum se pollui ex equitatio-  
ne, absque periculo consensûs, non teneri pedestrem incidere, ab illâque desistere; siquidem talis res est utilis, nec per se, & suapte naturâ est causa pollutionis. Ita cum Navar. Rodriguez, Armil. P. Vsq. 1. 2. d. 113. num. 8. tenet P. Sanchez lib. 8. de Matr. d. 45. n. 7. Addens num. 8. idem dicendum esse de pollutione præter intentionem subsecuta ex tactu licito necessario, & in eo prævisâ, cessante periculo consensûs, qualis esset pollutio subsecuta ex amplexu, & deosculatione juxta Patriæ consuetudinem, ne inurbanus videretur, aut ex tactu, quo Chirurgus verenda foemina attingeret, aut videret causâ medicinæ adhibendæ; licet enim hæc causæ valde influant in pollutionem, sunt tamen valde necessariæ, & suapte naturâ licite; sicq; effectus ex illis præter intentionem subsecutus non cogit ab illis abstinere. Imò & licitum indicat idem P. Sanchez. cit. num. 9. virtutis generativæ obstacula remove-  
re, adhibitis medicinis naturalibus ad humores corruptos removendos, dummodò non tendant ad expellendum verum semen, licet inde præter intentionem sequatur pollutio absque consensûs periculo; siquidem salus virtutis generativæ pertinet ad naturâ humanæ integritatem, nec minùs bona est, quam aliarum corporis virium sanitas, & medium illud non ordinatur per se ad pollutionem. Utrum autem quando nec necessitas, neque utilitas causæ adest, sit peccatum mortale tali causæ operam dare, ob pollutionem in ea prævisam, absque periculo consensûs? Vide P. Sanchez lib. 9. de Matr. d. 45. à num. 10. ubi de hac questione latè, & doctè, ut affloret.

210. Hactenus ad argumentum supra positum n. 207. juxta sententiam eorum, qui asserunt, licitum esse desiderare pollutionem futuram in somno, & de illâ sic habitâ delectari ob bonos fines. Cæterum cum eorum sententiam tot moderationes & limitationes suspectam reddant, concludimus negando antecedens argumenti, dicimusque non esse licitum desiderium illud pollutionis futuræ in somno, neque gaudium de illa sic habitâ. Ita Sot. in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 7. Ledesm. 1. part. 4. quæst. 21. art. 7. dub. 6. Medin. 1. 2. quæst. 74. art. 6. Zumel. ibid. art. 8. d. 4. dub. 4. Rodriguez sum. tomo 1. cap. 211. num. 3. magis inclinât Cordub. in suo quæst. lib. 2. quæst. ult. dub. 2. P. Sal. 1. 2. tract. 13. d. 6. sect. 32. num. 219. Basil. de Leon. lib. 10. cap. 16. S. 2. num. 12. P. Pal. tract. 2. de peccat. d. 2. punct. 10. S. 1. num. 10. Tom. 2.

& alii apud P. Fagun. lib. 9. decal. cap. 4. num. 206. Probatur, quia nunquam est licitum desiderium vel gaudium de fornicatione, etiam in somnis habitâ; ergo neque de pollutione ita in somnis contingente.

211. Dicent cum P. Sanchez supra cit. lib. 1. decal. cap. 2. n. 18. & alii apud ipsum, dari diversam rationem, quam jam supra assignavimus, nempe pollutionem nocturnam, cum sit expulsiô naturæ, naturaliter evenire, instar aliarum evacuationum naturalium, nempe sanguinis, & sudoris; ac proinde talem actum viâ naturali proveniente, nullatenus esse actum hominis, neque ejus voluntati subiectum; at verò fornicationem non esse actum naturalem, sed suapte naturâ liberum; ac proinde peccatum.

212. Sed contra, quia talis pollutio, etiam hoc modo eveniens, semper habet malitiam, saltem objectivam, & materialem; siquidem omne objectum, quod de se nullam habet malitiam objectivam, seu materialem, potest in aliquo casu directè procurari, intendi, & executioni mandari, neque assignabitur exemplum in contrarium; sed in nullo prorsus casu, etiam ad vitam conservandam, licitum est pollutionem, etiam viâ naturali procedentem, procurare, aut intendere per se, & directè, ut bene probat idem P. Sanchez lib. 9. de Matr. d. 17. à n. 16. ergo pollutio ex se habet malitiam objectivam, quam non tribuit procuratio, hæc enim solam malitiam formalem tribuit; ergo nunquam licitum erit illam delectari, neque de illa delectari, cum ob eandem rationem licitum non sit desiderare, neque delectari de fornicatione, etiam in somnis contingente.

213. Neque exemplum de fluxu sanguinis, & sudoris multum valet; siquidem ex se nullam habent malitiam, ideòque non solum possunt desiderari, sed etiam procurari, quod de pollutione non concedunt, quæ licet prout sic non sit actus humanæ voluntati subiectus, est tamen actus objectivè malus, quod sufficit, ut illius desiderium, & delectatio reddantur mala. Neque etiam obstat, quod de effectibus ex tali pollutione subsecutis licitum sit gaudere, prout supra diximus; siquidem sanitas, & sedatio tentationis, si ex illa subsequantur, nullam habent malitiam, sicque licitè possunt de talibus effectibus gaudere; sicut de confessione, cujus fuit causa peccatum; & sicut Ecclesia gaudet de effectibus ex Adami peccato subsecutis, cum dicit: O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem.

214. Argues 3. Si quis in sabbato delectetur, etiam delectatione sensibili, de esu carnis mente concepto, ac si carnem ipsam comederet, non peccaret, dummodò talis delectatio non esset de esu carnis ut prohibito; & tamen esus carnis tunc habet malitiâ objectivam; ergo etiam licitum erit delectari de opere malo factò, & putato bono per conscientiam erroneam; imò & de opere ex objecto malo ob aliquem finem bonum, nempe de pollutione habitâ in somno ob sanitatem.

215. Respondeo primò, dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est; quia illud, quod solo jure positivo prohibetur, ut prohibetur esus carnis in die sabbati, aut jejunii, non est vetitum practicari per imaginationem; siquidem legislatores humani, nec possunt, nec intendunt prohibere actus internos, sed solam externam operis executionem; cum autem esus carnis ex se non sit malus, neque prout sic prohibitus, licitum erit de illo prout sic delectari: at verò pollutio, & quodlibet aliud opus ex se malum, non solum exterius, &

re ipsâ non licet, quia ex se malum est; sed neque interius licet per imaginationem, quia non potest opus per imaginationem placere, nisi etiam placeat in se ipso; omnis autem affectus, & simplex complacencia objecti per se mali, est mala, & tentatio, quæ à Deo non est, Deus enim intentator malorum est. Jacob. 1. Ita P. Less. lib. 4. de just. cap. 3. dub. 15. num. 115. D. Thom. 1. 2. P. Tamer. ibid. d. 4. quæst. 8. dub. 7. num. 137. P. Laym. lib. 1. tr. 3. cap. 2. num. 9. P. Vasq. 1. 2. d. 110. cap. 1. & alii, quos citat, & sequitur Diana part. 3. tract. 5. resol. 5.

216. Respondeo secundo negando majorem (licet præcedens doctrina sit satis probabilis,) ratio est, quia talia objecta, nempe elus carnis die sabbati, & similia, sunt mala, quamdiu durat tempus prohibitionis; ergo quamdiu durat prohibitio, non potest esse licita delectatio de tali opere pro tali tempore, nempe pro sabbato; quamvis possit esse licita, si quis in sabbato apprehendat talem conceptionem, non ut faciendam sabbato, sed die Dominica; siquidem tunc jam apprehendit actum pro tempore, quo est licitus. Ita P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 2. num. 10. P. Azor. lib. 4. cap. 6. quæst. 1. Medin. cap. de rest. quæst. 21. vers. Mihi autem, & alii, quos citat, & sequitur P. Fagun. lib. 9. decal. cap. 2. n. 10.

217. Dicent, eum carnis esse ex se bonum, & solum ab extrinseco malum, voluntatem verò præscindere à malitiâ, appetitumque delectari solum de ipsâ substantiâ, quod non est. Sed contra, quia hanc præcisionem non admittent in omissione Missæ; siquidem tunc nulla est actûs substantia, de quâ præcisâ malitiâ, possit appetitus delectari, cum tamen auditio Missæ sit de jure positivo.

218. Inferes: Ergo poterit quis delectari de copula apprehensa pro eo statu, in quo hæc, aut illa mulier esset sua uxor; cum pro tali statu sit licita illa copula. Respondeo concedendo illationem, si sermo sit de delectatione sumptâ per solum appetitum rationalem; non ita verò de delectatione habitâ per appetitum sensitivum. Ita P. Sanchez. cit. num. 34. & cum eo P. Fagun. cit. & alii.

219. Et ratio diversitatis est, quia appetitus rationalis, nempe voluntas, cum sit spiritalis, potest amare objectum, non prout nunc de se est, sed prout proponitur ab intellectu sub aliqua consideratione, siue conditione, sub qua tale objectum esset licitum; cum autem copula sub illa conditione sit licita, & sic ab intellectu proponatur, sic etiam licitum erit de illa delectari, nisi aliunde detur aliquod periculum: at verò appetitus sensitivus, cum sit potentia corporea, & materialis, fertur in objectum, prout ipsum in se est destitutum omni conditione auferente malitiam; cum autem illa copula de præsentibus in se sit mala, talis etiam erit delectatio appetitus sensitivi circa illam. Confirmatur exemplo viduæ, cui licitum est delectari de copula habitâ tempore matrimonii; & etiam sponsæ, cui licet delectari de copula futura in matrimonio.

220. Urgebis: Sponsæ, & Viduæ possunt licite delectari, seu capere delectationem sensualem appetitus sensitivi ex cogitatione copulæ habitæ, aut habendæ in matrimonio licito, si non detur periculum pollutionis, aut consensûs in copulam præsentem; ergo præcedens doctrina non stat. Respondeo negando antecedens; ratio est, quia actus ille appetitus sensitivi semper fertur in copulam ut præsentem, & prout nunc est, sicut diximus, cum præsentem commotione ad illam, ad quam ordinatur, & est illius inchoatio; copula autem præsens solis conjugatis licita est, non autem viduis, neque sponsis de futuro, sicque neque eis licita erit delectatio ap-

petitus sensitivi circa illam. Ita Navar. sum. cap. 16. num. 9. & cap. Si cui de ponit. dist. 1. num. 1. Grass. 1. part. decisi. lib. 2. cap. 78. n. 9. Lopez 1. part. instrum. cap. 75. §. Sed majus. Rodriguez como 1. sum. cap. 212. num. 3. Vega como 1. sum. cap. 81. casu 2. Cordub. lib. 1. quæst. 9. 23. dub. 13. P. Vasq. 1. 2. d. 114. num. 3. quos citat, & sequitur P. Sanchez lib. 9. de Matrim. d. 47. num. 4. P. Fagun. lib. 9. decal. cap. 4. num. 5. P. Val. tract. 2. de peccat. d. 2. punct. 10. §. 1. num. 6. P. Less. lib. 4. de just. cap. 3. num. 120. Bonacin. quæst. 4. de Matrim. punct. 8. num. 13. Basl. de Leon. lib. 10. de Matr. cap. 16. §. 2. num. 10. & 11. & alii.

Oppositam sententiam satis probabilem de sponsis circa copulam futuram etiam quoad delectationem appetitus sensitivi tenent Vidior. Medin. 1. 2. quæst. 74. art. 8. dub. 3. Zumel. ibid. d. 4. dub. 3. De Viduis autem circa copulam habitam tenent Caiet. opuscul. tom. 1. tract. 14. de delect. moros. dub. 2. Rosel. num. 3. Sylvest. quæst. 3. Arnil. num. 3. Angl. Tabien. P. Valent. 1. 2. d. 6. quæst. 4. punct. 4. P. Sa verbo Luxuria. P. Sal. 1. 2. tract. 13. d. 6. sect. 28 n. 190. & alii. Pro quibus. Dices 1. Talis delectatio est de objecto licito; sed ex Philosopho lib. 10. Ethicor. talis est delectatio, quale est objectum; ergo &c. Respondeo primò negando antecedens: nam delectatio illa ex natura sua fertur in matrimonium præsens; cum autem hoc non detur præsens, semper delectatio illa prout sic est de objecto illicito; ac proinde peccaminosa.

Respondeo secundo dato antecedente, negando consequentiam; ut enim actus sit bonus, non sufficit, quod sit de objecto bono, si ex tali actu sequatur aliquis effectus malus. Patet in volitione copulæ inter conjuges, quæ habet objectum bonum; & tamen erit mala, si inde sequatur abortus: cum verò ex illa delectatione sensitiva in personis solutis, semper per se nascatur commotio membrorum, & spirituum, quæ in solutis est mala, semper in illis erit mala talis delectatio. Neque obstat, quod talis commotio possit aliquando impediri; nam ut delectatio sit mala, satis est, quod ex se ordinetur ad talem effectum; alioqui omnes, qui sperant, se ducturos aliquam scæminam, possent, etiam ante sponsalia, delectari de copula futura, quod est absurdum.

Dices 2. Nemo damnaret iudicem, qui delectaretur in occisione latronis à se factâ, vel faciendâ; ergo neque sic damnabit Viduam, aut sponsum si delectetur de copulâ à se habitâ, aut habendâ. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia delectatio illa iudicis non est per se ordinata ad occisionem præsentem illicitam: at verò delectatio illa sensitiva & venerea ordinatur ad copulam præsentem illicitam, ut patet ex dictis. Si verò loquamur de delectatione appetitus rationalis, siue voluntatis, sicut iudex potest sibi complacere de actu justitiæ punitivæ præteritæ; ita etiam Vidua de actu justitiæ commutativæ de reddendo debito, dicens illum actum fuisse bonum, & justum.

Instabis: Plus videtur esse approbare illam copulam præteritam, quàm de illa delectari; sed illud licet, ut diximus; ergo & hoc. Respondeo majorem esse veram si loquamur de delectatione complacentiæ, quæ est in appetitu rationali, seu voluntate; ideò enim diximus supra esse licitam.

Dices 3. Differentia temporis præteriti, præsentis, aut futuri, non variat rationem bonitatis moralis; sed licet conjugatis delectari de copula præsentibus cogitata; ergo etiam sic licebit Viduæ de præterita, & sponsæ de futura copula delectari, cum utraque sit licita, & sola differentia temporis inter illas reperitur.

reperiatur. Respondeo primò datâ majori, & minori, negando consequentiam; licet enim temporum differentia non variant speciem moralem; delectatio tamen illa in conjugatis respicit copulam pro tempore, quo eis est licita: non ita verò in Viduis, aut Sponsis, prout diximus.

226. Respondeo secundò negando majorem, nam multa non licent modò, quæ antea licebant; siquidem pueris ante septennium licitum est carnes comedere, non tamen illo præterito, quia ante septennium nullis Ecclesiæ legibus ligatur puer; cum enim lex sit quoddam præceptum rationale, pueri autem ante septennium non sint rationis capaces, neque capaces sunt alicujus vinculi legalis. Ita Palud. in 4. dist. 15. quest. 5. art. 1. num. 7. Pæz cap. Missas de consecrat. dist. 1. num. 62. Ubi dicunt, hos non magis obligari legibus, quam bruta. P. Soar. tomo 3. in 3. part. quest. 73. art. 3. d. 4. sect. 1. vers. Et juxta hanc. P. Azor. lib. 7. cap. 40. quest. 6. & P. Sanchez. lib. 1. decal. cap. 12. num. 2.

227. Utrum autem pueri, dum ad usum rationis perveniunt (quò communiter septennio completo accidere solet, ut tenet P. Sanchez lib. 1. de Matr. d. 16. num. 2. & lib. 1. decal. cap. 12. num. 6.) teneantur Ecclesiæ legibus? Affirmativè, si juniù, & Eucharistiæ legem excipias, sicque tenentur ad annuæ Confessionis præceptum contra Sor. in 4. dist. 12. quest. 1. art. 11. D. Anton. 2. part. tit. 9. cap. 8. §. 2. dicentes non teneri confiteri usque ad annum duodecimum: & contra P. Sa sum. verb. Confessio, num. 3. qui id extendit usque ad pubertatem; siquidem omnibus fidelibus præcipitur singulis annis confiteri, cum ad usum discretionis pervenerint, ut est expressum in cap. Omnis utriusque sexus, de penit. & tenet Sor. sibi contrarius in 4. dist. 18. q. 1. art. 3. ad finem. Navar. P. Henriquez lib. 4. de penit. cap. 5. num. 2. P. Soar. tomo 4. in 3. part. d. 36. sect. 2. num. 3. P. Azor. lib. 7. cap. 40. quest. 6. & cap. 41. quest. 10. P. Valent. tomo 4. d. 7. quest. 9. punct. 4. fine, & alii, quos citat, & sequitur P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 12. num. 6. ubi cum illis, & pluribus aliis idem affirmat de præceptis audiendi Missam, abstinendi à carnibus, & lacticiis.

228. Advertit tamen idem P. Sanchez ibid. num. 7. hujusmodi pueros, quamdiu duodecimum annum non compleverint (quo tempore annuæ communionis præcepto obligantur,) non esse plectendos pœnis statutis in cap. Omnis utriusque sexus, cit. nempe ut arceantur ab Ecclesiæ ingressu, excommunicentur, & Ecclesiasticâ sepultura careant; siquidem cum alii tardiùs, alii citiùs rationis usum attingant, noluit pia mater Ecclesia eos censuris obligare ad sua præcepta servanda usque ad eam aetatem ex cap. de delect. puer. ubi decernitur, pueros delinquentes non esse plectendos pœnâ ordinariâ. Si tamen puer doli capax Clericum percutiat, incurret excommunicationem ex cap. Pueris, de sent. excomm. & Gloss. ibi. Et si alium occidat, erit irregularis; ut à contrario sensu colligitur ex Clem. Si furiosus, de homicid. Similiter si populo sacris interdictum sit, comprehenduntur etiam pueri doli capaces, non tamen doli non capaces, neque omninò amentes, sicque possunt assistere loco interdicto, possunt eis licitè quibusvis diebus porrigi carnes, & lacticia. Ita cum multis P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 12. num. 8. 9. & 10.

229. Argues 4. Marito etiam absenti ab uxore licitum est delectari etiam delectatione sensibili, & cum commotione, & alteratione membrorum absque pollutionis periculo, de copulâ cogitatâ, non solum præteritâ, vel futurâ, sed etiam ut præsentis;

ergo etiam sic licitum erit Viduis de præteritâ, & Sponsis de futurâ copulâ delectari. Respondeo primò negando antecedens cum Sylvest. verb. Delectatio. quest. 2. Navar. cap. Si cui, de penit. dist. 1. num. 6. & sum. cap. 16. n. 10. Petr. Sor. Cordub. lib. quest. 9. 23. dub. 12. Lopez 1. part. cap. 75. §. Hinc perspicuum. Rodrig. tomo 1. sum. cap. 212. num. ultim. P. Sa sum. verb. Luxuria, & aliis. Primò, quia delectatio venerea non intenta ob bonum prolis, neque ad ipsum relata, qualis erit illa, omnibus interdicitur sub peccato. Secundò, quia delectatio illa est quasi incepta seminis effusio, ad illamque tendit, utpote quam comitatur membrorum commotio generationi inservientium; hæc autem extra copulam conjugalem lethalis est. Tertiò, quia de similibus eadem est ratio, & idem judicium ex cap. 2. de transl. Episcop. vers. Sicut autem. & Gloss. ibi. Sed in Vidua delectatio illa est mortalis; ergo & in conjugata.

230. Respondeo secundò, concessio antecedente cum D. Thom. quest. 15. de Malo, art. 2. ad 17. Palud. in 4. dist. 9. quest. 3. art. 1. num. 7. Caiet. sum. verb. Delectatio. §. Secundum. D. Anton. 2. part. tit. 5. cap. 2. §. 6. Rosel. Armil. Medin. 1. 2. quest. 74. art. 8. Zúnel. d. 4. dub. 3. P. Vasq. ibid. d. 113. num. 2. & 3. P. Sanchez lib. 9. de Matr. d. 44. num. 3. P. Pal. tract. 2. de Peccat. d. 2. punct. 10. §. 2. n. 17. P. Sal. 1. 2. tract. 13. d. 6. sect. 30. num. 206. P. Agid. d. 34. de Matr. dub. 11. num. 113. & aliis: diversa ratio est, quia in Viduis, & Sponsis non datur matrimonium præsens; maximè verò datur in conjugatis, in quibus matrimonium ipsum excusans à mortali copulam, & delectationem partis sensitivæ, excusat etiam commotionem illam naturaliter ex ipsâ conurgentem. Ita P. Vasq. & P. Sanch. cit.

231. Hinc est, matrimonium præsens in conjugatis excusare à peccato hujusmodi delectationem sensibilem, & partis sensitivæ, etiamsi hæc capiatur ex oculis, amplexibus, verbis, tactibus per partes impudicas, etiam quando copula non est licita propter aliquod impedimentum extrinsecum, nempe ob periculum abortus, sanitatis, aut loci publici; aut quia advenit impedimentum affinitatis, vel impotentia, dummodò non detur periculum pollutionis, neque votum castitatis, aut dubitatio de valore matrimonii; in omnibus enim his casibus licitam esse hujusmodi delectationem tenent ferè omnes Doctores supra citati. Vide P. Sanchez cit. P. Pal. P. Vasq. & P. Fagun. lib. 9. decal. cap. 6.

## SECTIO XII.

## Solvuntur argumenta contra præcedentem doctrinam.

232. **B**ICIES 1. Licitum est delectari de opere malo, etiam jure naturæ prohibito; nam sæpè etiam Viri sancti rident, & delectantur videntes duellum, bellum injustum, sceminas rixantes, & se alapis excipientes, ut cum Caiet. P. Vasq. & P. Finer. docet P. Arriaga d. 47. de peccat. sect. 3. num. 8. & tamen hæc omnia habent malitiam ex se, & intrinsecam; ergo etiam licitum erit delectari de opere ex se malo, quod conscientia erronea excusavit, & existimavit bonum. Resp. delectationem illam in prædictis rebus non sumi de illis quoad substantiam; hæc enim est inseparabilis ab ejus malitia, cum hæc sit illis intrinseca, ac proinde de illis prout sic delectari, foret peccatum: desumi verò illam delectationem de

de modo, aut ratione aliqua bonitatis in talibus objectis relucente, quatenus scilicet miro, ingenioso, & artificioso modo fiunt, & de illis prout sic, cum sint bona ridemus, & delectamur sine peccato, ut docet *Caet. sum. verb. Delectatio, vers. Secundum. P. Valent. 1. 2. d. 6. punct. 3. vers. Quarto. P. Azor. lib. 4. cap. 6. quest. 1. P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 2. num. 5. P. Fagun. lib. 9. decal. cap. 2. num. 10. & alii. Unde sicut delectamur, & gaudemus videntes hominem ex equo cadentem, sic possumus gaudere, & delectari de cognitione rerum turpium, prout infra dicemus.*

233. Inferes: Ergo etiam in materia luxuriae, licet sit peccatum delectari de ipsa copula in se, non ita erit peccatum delectari de modo aliquo particulari extrinseco, aut circumstantia, qua copula ipsa obtineretur. Respondeo concedendo illationem cum *P. Arriaga d. 47. de peccat. sect. 3. subsect. 4. n. 19. Unde si alicui occurreret ingeniosus, & astutus modus fallendi puellam, non cogitando de actu carnali, posset de hac astutia delectari; & sic ob eandem rationem, quando opus de se fuerit malum, habuerit tamen aliquam circumstantiam bonam, poterit quis licite de illa, & non de tali opere delectari.*

234. Hinc est, quod si quis furatus sit ex fine subveniendi pauperi: commiserit luxuriam occultam sine scandalo: excesserit in cibo, & potu, servando tamen modestiam externam: infamaverit alium, sed eleganti stylo: occiderit injuste, servando tamen leges artis gladiatoriae; potest de his circumstantiis delectari, nempe quod dederit eleemosynam, quod in luxuriam non dederit scandalum, sicque de aliis modis bonis, non tamen de ipsis actibus malis.

235. Similiter ob eandem rationem licitum erit delectari de aliquo opere secundum se bono, etiam habente aliquam circumstantiam malam, ut si quis daret eleemosynam ob vanam gloriam: susciperet Eucharistiam, Ordinem, aut Matrimonium in peccato mortali, posset gaudere, & delectari de eleemosyna, & susceptione Sacramentorum secundum se, non tamen ut facta cum illa circumstantia indignitatis; sicque de aliis: tum quia hujusmodi delectationes a fidelibus non putantur peccata: tum etiam, quia circumstantia illa mala non communicat delectationi suam malitiam; siquidem delectatio prout sic neque directe, neque indirecte fertur in ipsam circumstantiam, licet haec a parte rei sit cum ipso opere conjuncta; imò possumus efficaciter poenitentiam habere de tali circumstantia, quando de facto delectamur de tali actu.

236. Urgebis: Homo non potest desiderare tales actus habentes circumstantias malas; alioqui vellet etiam directe, aut indirecte ipsas circumstantias, quod est peccatum; ergo neque sic poterit de illis actibus delectari ob eandem rationem. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia desiderium, cum sit actus efficax, idest, tendens in futuritionem objecti, intendensque fieri, quod desiderat, non potest quis desiderare actum habentem malas circumstantias, quin velit illud prout sic executioni mandare; cum autem prout sic sit malum, ut mala est susceptio Sacramentorum in peccato, ideo non potest licite desiderari: at verò delectatio est simplex affectus, idest, non tendit in futuritionem sui objecti, sed semper defert aliquam conditionem, ideoque potest tendere in actionem a parte rei peccaminosam ratione alicujus circumstantiae malae, quin tendat in ipsam circumstantiam malam. Ita *Adrian. in 4. q. 4. de Euchar. S. His praemis. P. Vasq. 1. 2. d. 111. cap. 3. & 4. P. Azor. lib. 4. cap. 6.*

*quest. 1. Sayr. in clavi lib. 8. cap. 7. num. 13. & alii.*

237. Obijcies 2. Licitum est desiderium, & complacentia rei malae sub conditione, quod esset bona, & licita, ut si quis diceret: *Ego istam gemmam raperem, si esset licitum: haberem copulam cum ista femina, si esset mea uxor: & sic de similibus; ergo etiam licitum erit gaudere, & delectari de actione mala, quam conscientia erronea existimavit bonam, & excusavit. Respondeo dato antecedente, de quo statim, negando consequentiam; diversa ratio est, quia conscientia erronea non tollit malitiam ab objecto, sed solum excusat a culpa: at verò conditio ponit rem in statu, quo est licita, aut ab illa malitiam tollit. Imò addit *Diana part. 3. tract. 6. resol. 47. cum P. Vasq. 1. 2. d. 116. cap. 2. non peccare mortaliter, qui desideraret, fornicationem esse licitam, eoquod ob suam fragilitatem in illam saepe incidit; licet contrarium doceant P. Azor. lib. 4. cap. 6. quest. 10. & P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 2. num. 23.**

238. Hinc colliges primò, quando conditio adjuncta ponit res in statu, in quo tales res sunt licitae, posse licite desiderari, & de illis delectari. Ita cum multis *P. Fagun. lib. 9. decal. cap. 3. idque five tales res fuerint prohibita jure positivo, ut si quis diceret: Omitterem Missam, jejunium, &c. si esset licitum: five sint prohibita jure naturali, ut si quis Sacerdos desideraret ducere uxorem, si non haberet votum; habere copulam cum femina, si esset sua uxor; nullum enim in hoc committeret peccatum: sicut neque peccaret Religiosus, si se considerans secularem, se etiam in eo statu consideraret dantem, & accipientem pecunias propria auctoritate, & in eo delectaretur.*

239. Secundò, idem dicendum de eo, qui se consideraret suspendentem fures, ex suppositione, quod esset Judex; aut exercentem officia Ecclesiastica in loco, in quo non habet jurisdictionem, dummodò delectaretur sub conditione, quod id praestaret cum jurisdictione, & sic de similibus, in quibus conditio aufert malitiam, & res ponit in statu, in quo sunt licitae.

240. Tertiò, quando conditio non ponit rem in statu, in quo est licita, etiam non esse licitum illius desiderium conditionatum, ut si quis diceret: *Occiderem; furum, adulterium, & similia committerem. si esset licitum: haec, & similia desideria conditionata, ut mortaliter peccaminosa, damnat P. Azor. lib. 4. cap. 6. quest. 10. Adrian. quodlib. 10. art. 2. concl. 1. & cum illis P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 2. num. 23. Probabile tamen est, hujusmodi desideria esse licita. Ita P. Vasq. Sayr. & alii apud P. Fagun. cit. num. 2. Siquidem etiam in his conditio illa, si esset licitum, ponit res in statu, in quo est licita; res autem non potest esse licita, & peccaminosa; sicque conditio illa excludit omnem malitiam.*

241. Quarto, si conditio talis sit, ut non excludat omnem malitiam, tunc desiderium talis rei esse peccatum mortale, ut si quis diceret: *furtum, aut homicidium committerem, nisi timerem infamiam, aut poenam: Vel, nisi attenderem ad meum statum Episcopi, Religiosi, Sacerdotis, &c. Si tamen quis ita diceret: Si mihi, quando eram junior daretur haec occasio, occiderem, furtum, aut adulterium committerem; talis voluntas in aliquo sensu esset peccaminosa, & in aliquo non, talis enim modus loquendi potest duplicem sensum habere & efficere.*

242. Primus sensus est, ita ut homo de praesenti habeat voluntatem committendi tales actus, si eorum occasio sibi offerretur in juventute, aut in alio statu; &

& prout sic peccat mortaliter; siquidem tunc voluntas determinatur ad eorum malitiam. Secundus sensus est, ita homo secum faciat hanc considerationem; talis eram in juventute, ut talia peccata committerem, si in alio statu eorum occasio sese mihi obtulisset; & prout sic nullatenus peccaret, quia nullus esset voluntatis consensus. Ita P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 2. num. 29. P. Fagun. cit. & alii.

243. Quinto, hunc actum: Si Deus vellent, ut Petrus moreretur, ego gauderem: etiam posse habere duplicem sensum: Primus est, ut voluntas Divina præcedat, & nostra subsequatur, & prout sic nullum est peccatum; siquidem solum volo, voluntatem meam fieri conformem Divinæ. Secundus sensus est, ut nostra voluntas præcedat, & Divina subsequatur, & tunc idem esset, ac dicere: *Voluisse, Deum velle Petrum mori*; quod est peccatum; siquidem tunc desideratur mors proximi. Et hic secundus modus solet semper contingere, quando talia verba proferuntur à personis irâ commotis. Ita P. Sanchez cit. num. 30. P. Fagun. cit. Navar. lib. 2. de resist. cap. 3. dub. 7. num. 194.

244. Sexto, hunc actum, Si Deum non timerem, violarem jejunium, furarer, & similes, esse malum, si intelligatur de timore servili, idest, quo Deus timetur ut punitor malorum; siquidem idem valet, ac dicere: si non esset infernus, talia peccata committerem, quod est peccatum: Erit tamen bonus ille actus, si de timore filiali intelligatur; siquidem facit hunc sensum; nisi Deum amarem, & revererer, talia peccata committerem, quod est bonum. Ita P. Sanchez cit. num. 27. Advertit tamen, aliud esse sub conditione consentire, v.g. si non esset infernus, peccarem: hoc enim est peccatum, ut diximus: aliud verò, quando hic consensus conditionalis non est in voluntate, imò cohibetur à peccato, timore cuiusvis poenæ, quod non est malum, cum nullus consensus prout sic detur in voluntate.

245. Septimo, ex his, & aliis similibus casibus, qui adduci poterant, & possunt videri apud P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 2. à num. 24. P. Fagund. lib. 9. decal. cap. 3. P. Pal. tract. 2. de peccat. d. 2. punct. 10. §. 3. P. Vasq. 1. 2. d. 116. cap. 2. P. Azor. lib. 4. cap. 6. quest. 10. P. Sal. 1. 2. tract. 13. d. 6. sect. 27. Sayr. in clavi lib. 8. cap. 7. & alios apud illos, satis constare, desiderium, sive complacentiam in voluntate, sive appetitu rationali de objectis ex se malis, sub conditione tamen malitiam auferente, non esse peccatum.

246. Dubium tamen est: Utrum huiusmodi delectatio de talibus actibus sub prædictâ conditione consideratis, sit etiam licita in appetitu sensitivo? Non est dubium, talem delectationem esse mortalem in materia luxuriæ, ut si quis in appetitu sensitivo caperet delectationem de copulâ cogitatâ cum fœminis, etiam sub conditione, quod daretur matrimonium, prout supra diximus à num. 220. In aliis verò materiis præter luxuriam censet P. Arriaga d. 47. de peccat. num. 8. delectationem appetitus sensitivi non esse peccatum mortale, etiam si nulla apponatur conditio, ut si quis delectetur de furto. Nobis tamen dicendum est, omnem delectationem appetitus sensitivi esse malam, sive apponatur, sive non apponatur conditio auferens malitiam; siquidem talis conditio solum excusat delectationem voluntatis, sive appetitus rationalis, non verò appetitus sensitivi. Vide supra quæ diximus à num. 218.

## SECTIO XIII.

Utrum possimus alicui suadere, ut faciat rem malam, quam illi Conscientia erronea dicitur esse bonam?

**S**ENSUS quæstionis est: Petrus existimat hodie non prohiberi comedere carnes, cum tamen prohibeantur, si comedat, non peccat; etiam si dederit causam suæ ignorantia, quam tamen jam vincere non potest: sic enim ebrius tempore ebrietatis non peccat jurando falsum, etiam si ipse dederit causam ebrietati. Ita P. Vasq. 1. 2. quest. 76. art. 3. d. 127. cap. 3. & 4. P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 16. num. 42. dummodo nullam antea dubitationem, aut cogitationem habuerit de peccatis in ebrietate committendis: licet peccata in ebrietate commissa culpæ imputari, utpote libera, & voluta in sua causa, dicant D. Thom. 1. 2. q. 76. art. 4. ad 4. & 2. 2. quest. 150. art. 4. corpore, & ad 1. Caiet. sum. verb. Ebrietas, ubi Sylvest. quest. 4. Quæstio igitur est, utrum ego tunc possim Petro suadere, illumque inducere ad comedendas carnes, supposito, quod ipse sine peccato, id suadente conscientia erroneâ, illas potest comedere?

Negativa resolutio tenenda est. Ita P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 12. num. 16. P. Pal. tract. 3. de legib. d. 1. punct. 22. §. 2. num. 12. Bonacina d. 1. de legib. q. n. punct. 6. num. 5. & alii. Probatur, quia peccatum est ministrare ebriis cibos vitios, illosque inducere ad vescendum, ut docet P. Sanchez proximè; & tamen ebrii non peccant comedendo; ergo licet Petrus ex conscientia erronea non peccet in casu proposito, non possum ei suadere, ut comedat. Et ratio hujus est, quia adhuc comestio illa est mala, suppositâ prohibitione, & tam Petrus, quam ebrius tenentur tunc abstinere à carnibus, licet per accidens excusentur à culpa ratione ignorantia, & ebrietatis; ergo illos inducere ad comedendum, est inducere illos ad fractionem legis, sive ad peccatum, quod nobis non licet.

Confirmatur primò, quia mihi non licet inducere Petrum ad jurandum falsum, quod ipse existimat verum: quamvis Diana part. 5. tract. 7. resol. 14. id probabile dicat, contra P. Azor. lib. 10. cap. 11. quest. 2. & P. Soar. tomo 3. de Relig. lib. 3. cap. 14. num. 8. & mihi etiam liceat petere jutamentum à Pagano, qui juraturus est per falsos Deos, quando aliter me tueri non possum, ut docet P. Sanchez lib. 3. decal. cap. 8. num. 7. siquidem præceptum, quo quis prohibetur committere peccatum, etiam obligat ad illud vitandum in alio, inducendo ad actum, quem ipse inducens scit esse peccatum; ergo &c.

Confirmatur secundò, quia non licet pellicere ad copulam ebrios, perpetuò amantes, nec pueros rationis usu carentes: quamvis de his, qui tenent, ut tenent Palud. Medin. P. Soar. tomo 3. in 3. part. d. 40. sect. 1. P. Azor. lib. 7. cap. 40. quest. 6. & cum illis P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 12. num. 2. eos nullâ lege Divinâ, naturali, aut humanâ obligari, consequenter debeant affirmare, consuleri horum congressum non esse de se malum, sicut malum non est belluas conjungere; sed idèd non licet illis pellicere ad tales actus, quia de se sunt omnibus illis prohibiti,

prohibiti, etiamsi ob defectum rationis, & discursus à peccato excusentur; ergo &c.

251. **Objicies 1.** Licetum est ministrare carnes in sabato perpetuo amentibus, & pueris ante septennium, illosque inducere ad comedendum, ut docet cum multis *P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 12. n. 9. & 16.* ergo etiam licebit puerum ad id inducere, quando fuerit ebrius, aut per conscientiam erroneam crediderit se non peccare. Respondeo negando conscientiam; diversa ratio est, quia Petrus licet ratione ebrius, & ignorantie excusetur à culpa, adhuc tamen obligatur à lege; ac proinde si ego inducerem ad comedendum, illum inducerem ad violationem legis, quâ adhuc ligatur; consequenterque ad peccatum: at verò perpetuo amentes, & pueri, non solum excusantur, sed etiam non ligantur lege illa; siquidem pueri ante septennium, & perpetuo amentes, qui ut infantes reputantur, ut dicit *P. Sanchez cit. nulla lege Ecclesie astringuntur;* quando autem lex homini non prohibet actionem, bene possumus illum ad talem actionem inducere. Ita *P. Sanchez cit. P. Pal. cit. num. 11.*

252. **Hinc est,** quod tibi licitum sit servis tuis non baptizatis subministrare carnes, & eos obligare ad laborem in die festo, ut docet *Diana part. 5. tract. 14. resol. 7. qui idem docet ibidem cum P. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 5. num. 3. de perpetuo amentibus;* quos etiam, sicut & servos ebrios non teneris mittere ad Missam; tum quia hoc præceptum obligat assistere præsentia humanâ, & rationali, quali hi nequeunt interesse: tum etiam quia Officia Divina perturbarent. Ita *P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 12. n. 17.* qui tamen id intelligit de absolute amentibus; nam si amentes sint in aliqua speciali materia Missam non tangenti, peccabunt, nisi Missa intersint, cum circa illam, & reliqua alia usu rationis gaudeant. Hinc etiam licitum tibi est, pueros non septennes intronittere in Monasteria monialium, & foeminas similiter non septennes in Monasteria virorum: non ita tamen amentes, vel infideles impubes; licet enim omnium intronissio nullo jure sit prohibita, ex illa tamen puerorum intronissione nulla sequuntur inconvenientia, quæ ex aliorum intronissione sequuntur. Ita *P. Sanchez lib. 6. decal. cap. 16. num. 5. Bonacina d. 1. de legib. quest. 1. punct. 6. num. 6. P. Sal. d. 14. sect. 13. num. 126. Baybos. in Trid. sess. 25. cap. 1. de reform. quos citat, & sequitur P. Pal. de legib. tract. 3. d. 1. punct. 22. §. 2. num. 13.*

253. **Objicies 2.** Confessor potest, & tenetur, non solum consulere, sed etiam obligare poenitentem ad reddendum debitum, si poenitens credat, se teneri reddere, & nolit, licet Confessarius sciat matrimonium esse nullum, ut docet *P. Sanchez lib. 2. de Matrim. d. 38. num. 8.* & tamen tunc actus ille matrimonii esset fornicatio; ergo licitum est inducere hominem ad actionem in se malam, quando ignorantia illum excusat. Respondeo argumentum optime probare, quando obligamus, & inducimus hominem ad actionem materialiter malam, ut evitet aliam formaliter malam, ut fieret in casu argumenti; supponimus enim, quod Confessor non potest movere poenitentem sine periculo peccati formaliter, quod est majus malum; ex duobus autem malis bene possumus minus consulere, quando utrumque vitare non possumus.

254. **Inferes:** Ergo etiam Confessarius tenebitur movere testem, & judicem nolentes testificari, & suspendere furem, aut homicidam, ut obeant munus suum absque timore irregularitatis. Respondeo concedendo illationem: irregularitas enim ex de-

fectu levitatis solum incurritur à ministris Justitiæ, & ab illis, qui necessarii sunt ad causam judicialem, & ad executionem sententiæ in causa mortis, ut docet cum *P. Vasq. P. Turrian. Diana part. 3. tract. 5. resol. 80. contra Avil. part. 7. de Conf. d. 5. sect. 2. dub. 6. conclus. 2. P. Henriquez de Irregularit. lib. 14. cap. 16. num. 4.* Imò addit, non esse irregularem, qui detegit, aut clamat ad esse latronem, ut comprehendatur, nisi esset accusator, aut testis necessarius ad cognitionem causæ, aut hoc faceret, tanquam minister justitiæ, idque contra *Bonacim. Avil. Navar. Covar. & alios.*

255. **Neque hinc sequitur,** licitum esse hortari ad Communionem hominem existentem in peccato mortali, etiamsi existimet se esse in gratiâ; si enim non est licitum homini suadere ad comedendas carnes, etiam quando illum excusat ignorantia jejunii, quomodo licebit hominem hortari ad Communionem sacrilegam? Hoc enim gravius peccatum est, quam Papam occidere, ut ait *P. Fagun. in 3. quinq. lib. 1. cap. 4. num. 9. cum P. Henric. lib. 8. de Euchar. cap. 4. litt. Q. Alensin 4. dist. 48. memb. 4. Caiet. 2. 2. quest. 99. art. 3. dub. 3.* Siquidem offendit Christum, non in suo Vicario, sed in propria specie, illumque vocat Deicidam Concil. Ephesin. juxta illud 1. Cor. 11. *Reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* Non tamen incurrit excommunicationem *cap. Si quis suadente,* ut bene addit *P. Fagun. si Hostiam consecratam quis percuit,* sicut illam incurreret, qui Papam percuteret, quia Corpus Christi Domini non est ibi modo passibili, & naturali, sed modo impassibili, & supernaturali.

256. **Objicies 3.** Si quis Sacerdos peregrinus accessisset ad Parochiam, & ibi accepisset confessionem alicujus dicentis, se baptizasse Parochum illius Parochiæ absque intentione; & deinde excepisset Confessionem Parochi accusantis se de non audientis Confessionibus, cum teneretur ex officio, Confessarius ille teneretur monere Parochum illum fictum, ut audiret Confessiones; & tamen Confessiones illæ essent sacrilegæ, saltem materialiter; ergo licitum est inducere ad actus malos, quos ignorantia excusat.

257. **Respondeo** concedendo totum in tali casu, sicut in simili diximus supra *num. 253.* quod verum est quoties talis inductio est ad vitandum majus malum, ut esset in præsentia revelatio sigilli, sine cujus violatione non poterat ille Confessarius Parochum monere de defectu Baptismi. Unde in tali casu debebat se gerere, ac si defectum illum nesciret omnino; quod enim ex solâ confessione scitur, idem est ac si ignoretur, ut ex *D. Bernard. ait Diana part. 5. tract. 11. resol. 4.* Nihil minus scio, quam quod per Confessionem scio; sed Confessarius ille, si talem defectum Baptismi omnino ignoraret, teneretur monere Parochum illum de obligatione sua in audiendis Confessionibus; ergo etiam sic teneretur, si solum ex Confessione tale impedimentum agnosceret. Ita de hac re duo primarii Doctores Academiæ Eboensis.

## SECTIO XIV.

## Utrum Conscientiâ vincibiliter erronea obliget?

358. **A**M supra diximus, conscientiam vincibiliter erroneam esse illam, quæ nascitur ex ignorantia vincibili; hanc autem tunc dari, quando homo ita ignorat aliquam legem, ut tamen de illâ habeat rationem aliquam dubitandi, & cum possit consulere homines doctos ad veritatem assequendam, non tamen consulit; sicque conscientia vincibiliter erronea semper supponit intellectu aliquam formidinem partis oppositæ. Unde quando supra diximus, conscientiam erroneam reddere intellectum omnino certum, locuti sumus de conscientia invincibiliter erroneâ, quæ est cum firma adhesionem intellectu.

359. Dices: Dubium non potest stare cum assensu; sed conscientia erronea est assensus, seu iudicium intellectus; ergo non potest stare cum dubio. Respondet majori esse veram de dubio proprio; quod scilicet relinquit intellectum omnino suspensum; hoc enim dubium non potest stare cum conscientia recta, probabili, aut erronea: non autem de dubio latè sumpto, prout idem est, atque formido, seu iudicium, quo homo iudicat oppositum, ut contingit in casu perplexitatis; hoc enim dubium bene stare potest cum conscientia vincibiliter erroneâ. Igitur.

360. Difficultas est: Utrum huiusmodi conscientia vincibiliter erronea obliget? Prima sententia docet, huiusmodi conscientiam obligare, non quidem positivè, id est, ut illam sequamur, sed negativè, id est, ne contra illam operemur. Ita Angel. in Moral. cap. 7. Cordub. lib. 3. q. 4. Lorca d. 33. n. 2. P. Vasq. 1. 2. d. 60. cap. 2. Secunda sententia, quam sequimur, asserit primò teneri hominem adhibere diligentiam, aut ut ignorantiam tollat, aut ut invincibilem reddat: Secundò, si hoc non faciat, teneri positivè obedire conscientie: Tertio, sic obediendo non evitare peccatum. Ita P. Soar. d. 12. sect. 4. n. 10. P. Becan. tract. 1. cap. 4. q. 7. n. 12. P. Sal. 1. 2. tr. 8. d. unica. sect. 3. num. 24. Mald. d. 84. §. Dico 3. Martin. quest. 19. art. 6. dub. 2. conclus. 2. P. Sanch. lib. 1. Decal. cap. 11. num. 2. P. Arriag. de Actib. hum. d. 22. num. 21.

361. Probatur prima pars, quia homo quamdiu habet huiusmodi conscientiam, non solum est in periculo peccandi, sed etiam in perplexitate, ita ut quamdiu conservet talem conscientiam, quidquid faciat, peccet; ergo tenetur adhibere diligentiam, ut illam deponat; alioqui se exponet periculo peccandi, in quo peccabit.

362. Probatur secunda pars, quia homo debet ratione regi, & secundum illam operari; sed hic, & nunc iudicat, se teneri ad furandum v. g. ut eleemosynam det egentibus, aut ad mentium vendit, ut liberet innocentem; ergo quamdiu non mutat hoc iudicium, neque ad illud deponendum adhibet diligentiam, tenetur illud sequi, & secundum illud operari; alioqui temerè resistet, & actum existimatum à se malum exequetur. Confirmatur ex illo D. Paul. ad Gal. cap. 5. ibi: Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciende: ubi loquitur cum Hebræis habentibus conscientiam erroneam culpabilem circa circumcisionem, dicitque, eos esse debitores legis

Tom. 2.

faciendæ, quando huiusmodi conscientiam non deponerent, ut tenebantur deponere.

Neque Durand. in 2. dist. 39. q. 4. num. 7. & alii differunt in re ut ait P. Soar. cit. n. 11. dum asserunt, conscientiam errantem non propriè obligare, sed ligare; siquidem cum dicunt ligare, non loquuntur de vinculo materiali, sed morali, quod non est, nisi obligationis cuiusdam, non quia hæc immediatè obliget ad operandum, neque simpliciter, sed ex suppositione, quod homo non adhibeat diligentiam ad illam deponendam; & quia tunc etiam ita hominem obligat, ut illum reddat perplexum; idèdque ad hoc distinguendum vocavit hanc conscientiam potius ligamen quoddam, quam obligationem, cum tamen una, & eadem res sit. Aliter eundem Durandum explicat P. Sanch. lib. 1. Decal. cap. 11. n. 4. dum ait, idèd dixisse huiusmodi conscientiam ligare, & non obligare, quatenus ipsa non est, quæ præceptum, & obligationem inducit, sed quatenus ipsa existente, sumus ligati ad eius dictamen sequendum. Et eodem modo loquitur P. Valent. 1. 2. d. 2. q. 14. punct. 4. q. 1.

364. Probatur tertia pars, quia hæc conscientia, cum sit vincibiliter erronea, est voluntaria; ergo licet illius objectum quoad expressum representatum sit quid bonum, & volitum; quoad virtuale, & interpretativum est quid malum, & etiam volitum; ergo malitia objecti est voluntaria; consequenterque voluntas non excusatur à culpa, licet homo sit tunc perplexus, cum talis sit ex sua negligentia, dum non curat, cum possit, & debeat conscientiam illam vincibiliter erroneam deponere.

365. Hinc colliges primò, primam obligationem hominis habentis conscientiam vincibiliter erroneam esse, conscientiam ipsam deponere, consulendo viros doctos in casibus, & in modis infra apponendis. Secundò, conscientiam vincibiliter erroneam non obligare absolutè, sed ex suppositione, quod non deponatur: sic enim si Pontifex mihi præciperet, ut deponerem ab officio meo Prælatum, quamdiu ego illum non deponerem, præcepta illius me obligarent, non absolutè, sed ex suppositione, quod illum non deponerem.

366. Tertio, hominem habentem huiusmodi conscientiam peccare illam non deponendo, quatenus illam tenetur deponere: sic enim ego peccarem non deponendo meum Prælatum, cum ad mandatum Pontificis tenerem illum deponere. Patet, quia exponere se manifesto periculo peccandi, peccatum est; sed tunc homo ille non deponens huiusmodi conscientiam exponeret se manifesto periculo peccandi; siquidem aut faciat id, quod conscientia dicat faciendum, aut faciat oppositum, semper peccabit; ergo peccat illam non deponendo.

367. Prob. Minor, nempe, quod semper peccaret, quia si conscientia vincibilis dicat Petro, esse obligationem furandi ad succurrendum pauperi, & furetur, peccat; siquidem operatur cum ignorantia vincibiliter de malitia furti; ignorantia autem vincibilis non excusat à peccato; homo enim habens talem ignorantiam imprudenter operatur, ut potè faciens rem incertam, an sit mala, sicque virtute dicit, *Volo furum, sive malum sit, sive non*, quod est operari contra rationem, ac proindè cum peccato; sed etiam peccaret non furando; siquidem faceret contra conscientiam dicantem esse obligationem furandi; ire autem contra conscientiam semper est peccatum; cum enim conscientia tunc dicat furtum esse faciendum, illiusque omissionem esse malam, voluntas amplectendo omissionem furti, peccat, quia amat rem iudicatam malam in intellectu.

H

opera-

operaturque contra conscientiam; ergo aut faciat, aut omitat furtum, semper Petrus peccabit; ergo tenetur hujusmodi conscientiam deponere.

258. Quartò, hanc furti omissionem in casu proposito fore peccatum contra illam virtutem, quam intellectus, sive conscientia errans judicaret offendit, ita ut si per omissionem furti Petrus judicaret, offendi religionem, aut pietatē, quia judicaret furtum necessarium ad cultum Ecclesiæ, aut ad subveniendum parentibus, peccaret peccato sacrilegii, aut impietatis; siquidem crimen adversus dictamen conscientie errantis pertinet ad eam malitie speciem, ac culpæ quantitatem, quam ipsa conscientia errans dicitur, ita ut si dicitur esse veniale, mortale, sacrilegiū, adulterium, & similia, talia sint peccata, prout supra diximus de peccatis contra conscientiam rectam.

259. Patet, quia tota ratio hujus malitie consistit in eo, quod talis operatio sit contra dictamen conscientie errantis; ergo talis & tanta erit malitia, quantum, & qualem dicitur conscientia errans. Ita *D. Thom. 1. 2. q. 19. art. 5. ad 3. Medim. ibid. a. 6. dub. 4. P. Vasq. ibid. d. 59. cap. 3. n. 11. Caiet. sum. verb. Conscientia, Navar. Cordub. P. Valent. 1. 2. d. 1. q. 14. punct. 4. q. 2. P. Azor. lib. 2. cap. 8. q. 4. P. Sal. 1. 2. q. 21. tract. 8. d. unica, sect. 3. num. 17. & 32. Sayr. in clavi, lib. 1. cap. 4. n. 15. & 19.* quos citat, & sequitur *P. Sanch. lib. 1. Decal. cap. 11. n. 5. Addens eum P. Azor. P. Valent. & P. Sal. cit.* quod si conscientia dicitur esse peccatum in genere, non descendendo ad aliquam speciem, ad nullam specialem peccati speciem pertinebit, sed ad generalem contra præceptum sequendi boni, & mali vitandi. Si verò quidpiam illicitum judicaverit, nec tamen distinxerit, an veniale, vel mortale sit? Probabilius fore mortale, judicat idem *P. Sanch. cit. num. 6. eum P. Vasq. P. Azor. & Sayr. cit.* siquidem cum voluntas absq; sufficienti examine qualitatis culpæ, eam amplectatur juxta suæ conscientie dictamen, exponit se manifesto culpæ mortalis periculo.

270. Quintò, malè discurrere *Ocham* apud *P. Arriag. d. 21. de Actibus human. sect. 4. num. 2. & Angeli. apud P. Vasq. 1. 2. d. 59. cap. 3. & Adrian. apud P. Sanch. lib. 1. Decal. cap. 11. num. 5.* docentes agere contra conscientiam errantem esse speciale peccatum necessariò fatendum, ita ut homo nolens facere diligentiam ad deponendam conscientiam, peccet contra virtutem studiositatis; hoc enim jam supra negavimus, ut patet ex dictis, *d. 2. à n. 54.* Undè omisso diligentie non habet distinctam malitiam ab actu, qui sequitur ex tali omissione diligentie.

271. Hinc est, quod si Petro representatur, mendacium esse peccatum; & per alium actum ei representatur, quod charitas obligat ad mentiendum, ut liberetur innocens; tunc Petrus potens facere diligentiam ad sciendum, qualem ex his judiciis debeat sequi, si noluit diligentiam, & mentiatur, solum peccat contra veracitatem; si verò non mentiatur, solum peccat contra charitatem, & nullo modo contra virtutem studiositatis speciali peccato.

272. Et ratio est, quia talis omisso in tantum est mala, in quantum est causa actionis malæ iade secutæ, nempe furti, mendacii, aut alterius peccati; ergo non habet distinctam malitiam ab illa, quam habet actio, quæ à tali omissione sequitur. Confirmatur primò, quia quâdo quis omittit Missam propter studium, studium, quod est causa omissionis Missæ, non habet specialem malitiam, sed solam malitiam omissionis Missæ, & hanc solam, non verò studium tenetur in confessione explicare; ergo &c. Secundò, quia si Petro ad vincendam luxuriam representetur necessaria oratio, vel jejunium, & illa omitat, so-

lum committit peccatum luxuriæ in confessione declarandum; ergo &c.

273. Sextò, licet homini per conscientiam vincibiliter errantem proponatur utraque pars contradictionis ut peccatum, & prout sic maneat perplexus, non idèò excusari ratione talis perplexitatis à peccato, quamcumque partem eligat, id est, sive furetur, sive non furetur. Et ratio est, quia talis homo non est ex necessitate, sed ex sola voluntate perplexus; potest enim, si velit, & tenetur facere diligentiam ad deponendum unum ex illis judiciis, quod si faciat non peccabit; sicque in proposito casu, non ex necessitate, sed liberè peccat; sola enim perplexitas, quæ vinci non potest excusat à peccato.

274. Dices: Supposita voluntate manendi in illa ignorantia, jam homo necessariò eligit unam ex illis partibus, nempe aut furari, aut non furari; ergo tunc non peccabit, si saltem eligat illud, quod videtur minus malum. Respondeo concedendo totum; tunc enim idem dicendum est, quod supra diximus de Pastore in casu perplexitatis necessariæ. Undè talis homo ex facta suppositione, quod scilicet conservet voluntatem non faciendi diligentiam, ut tenetur ad deponendum suum errorem, non peccabit de novo, ut docent *P. Sanch. & P. Arriag. cit.* peccavit tamen, quando potuit, & debuit facere diligentiam, & non fecit.

275. Patet in eo, qui infligit vulnus lethale, ex quo alius cras moriturus est; talis enim homo non peccat peccato homicidii, quando alter moritur; siquidem tunc jam non est in potestate homicidæ impedire mortem, imò poterit jam habere penitentiam de tali homicidio; peccavit tamen quando causam mortis apposuit, nempe vulnus, quod poterat non infligere, & liberè infligit. Undè similiter, supposito primo peccato, quod homo commisit, non faciendo diligentiam, quam debuerat, & poterat facere, liberè tamen non fecit, si deveniat ad statum, in quo jam non potest diligentiam facere, tunc ignorantia illa manet invincibilis, sicque idem dicendum est de tali homine, quod supra de Pastore diximus à n. 128.

## SECTIO XV.

*Virum Conscientia erronea magis obliget, quam alia leges?*



276. ADVERTES primò, hujusmodi questionem, ut aliquam rationem dubii habere possit, debere ita proponi. Utrum scilicet magis me obliget conscientia, quam ex me habeo independenter à præcepto superioris mihi nunc imposto: an conscientia, quam in me de novo generat ipsum præceptum? Patet exemplo, Petrus v.g. per conscientiam propriam prius judicabat, se non posse hodie omittere officium divinum, quia est Sacerdos; postea tamen Prælati mandat Petro ne officium Divinum recitet, sed aliud faciat: tunc in proposito eventu Petrus habet duas conscientias, prima dicit: ratione ordinis debeo horas recitare: secunda verò dicit: ratione obedientie debeo horas omittere: Quæstio igitur est, qualemnam conscientiam Petrus debeat sequi, primam, an secundam?

277. ADVERTES secundò, cum *P. Vasq. 1. 2. d. 61. cap. 1. & P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica, sect. 3. n. 37.* duobus modis contingere posse, conscientiam, & præceptum superioris sibi occurrere: primò, ita ut superiore præcipiente, nulla appareat ratio sufficiens deponendi

deponendi conscientiam: secundò, ita ut ratio aliqua deponendi illam appareat. Advertes tertio cum eodem *P. Vasq. cit. & Lorca d. 37. memb. 3. dub. 3.* iudicium conscientie esse posse, aut de obligatione, cui prælatus potest derogare; aut de obligatione, cui prælatus derogare non potest. His positis.

278. Dico 1. Si utraque conscientia repræsentet leges impositas ab eodem superiore, certum est, quod homo tenetur sequi secundam conscientiam, ut si Pontifex, aut Episcopus Petro præcipiat studium pro hac hora, & ante finitam horam et præcipiat omissionem studii. Patet, quia quando dantur duæ voluntates inter se contrariæ, tunc secunda revocat primam; ergo hac omiſsa, tenetur illam sequi.

279. Dico 2. Quando prima conscientia errans proponit legem inferioris prælati: secunda verò proponit obligationem, sive legem majoris prælati, qui potest mandato inferioris derogare, magis obligat secunda, quam prima conscientia. Ita *P. Vasq. 1. 2. d. 61. cap. 1. §. Præterea. Lorca d. 37. memb. 3. dub. 3. Pezant. q. 19. art. 6. d. 5. & alii.* Probatur, quia talis conscientia proponit præceptum alicujus, qui est inferior Summo Pontifice v. g. ergo si Summus Pontifex scienter præcipiat oppositum, cum possit cuiuscumque superioris præcepto derogare, dicendum est ita derogasse; sicque majorem esse hujus secundæ, quam illius primæ conscientie obligationem. Dixi scienter, quia si Summus Pontifex præceptum non imponeret, dum sciret, prælatum inferiorem contrarium præcepisse; tunc non censetur illius præcepto derogare. Quando autem Pontifex intendat, aut non intendat derogare præcepto prælati inferioris? Colligendum est ex conjecturis rationabilibus, quando ipse suam intentionem non expreſsit.

280. Dico 3. Quando prima conscientia errans est vincibilis, magis obligat secunda de præcepto prælati opposito. Ita *P. Vasq. Lorca. P. Sal. Pezant. P. Perez & alii.* Probatur, quia quando mandatum prælati licite impleri potest, de facto obligat; sed quando conscientia est vincibiliter errans, licite impleri potest; siquidem conscientia errans eo ipso, quod est vincibilis, prudenter deponi potest; ergo præceptum superioris de facto obligat, prævaletque tali conscientie erroneæ.

281. Dico 4. Quando prima conscientia errans est invincibilis, magis obligat, quam secunda ex præcepto superioris de opposito. Ita *P. Vasq. 1. 2. d. 61. cap. 1. §. His postis. P. Sal. P. Perez. Certam. 10. dub. cap. 5. Pezant. q. 19. art. 6. d. 5. conclus. 2. Lorca. d. 37. memb. 3. dub. 3. P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 11. num. 16. & alii.* Prob. quia quando conscientia est invincibiliter errans proponit obligationem fortiore, secundum se, & in modo proponendi, quam proponit ipsum mandatum superioris; siquidem proponit præceptum, cui superior derogare non potest, alioqui jam esset vincibilis; & deinde autoritate superioris deponi non potest; ergo proponit obligationem fortiore, quam proponit mandatum superioris; consequenterque illius mandato prævalet.

282. Objicies 1. Eadem est ratio de conscientia invincibiliter, & vincibiliter erronea; ergo aut utraque, aut neutra prævalet mandato superioris. Respondeo negando antecedens: nam conscientia invincibilis deponi non potest, sicut vincibilis; ac proinde non militat eadem ratio.

283. Objicies 2. Conscientia errans invincibilis deponitur ob autoritatem Doctoris; ergo etiam ob autoritatem superioris; sed conscientia errans vincibilis, quia potest deponi, non magis obligat,

Tom. 2.

quam præceptum superioris; ergo idem dicendum erit de conscientia invincibiliter errante. Respondeo negando consequentiam primam, quia superior in ratione superioris non est sapiens: si autem fuerit doctus, & timoratus, & subditus ignorans, & idiota, hic tunc tenebitur obedire, & deponere conscientiam suam erroneam, non ob autoritatem superioris ut præcipientis, sed in quantum Doctoris, & timorati, & tunc conscientia, quæ erat invincibilis, redditur vincibilis, tenebiturque obedire, prout diximus *n. 280.*

284. Objicies 3. Vincibiliter errans gravius peccat contra conscientiam errantem, quam contra præceptum superioris; ergo conscientia vincibiliter errans magis obligat, quam præceptum superioris. Respondeo primò ad argumentum, (quod jam non probat contra proximè appositam conclusionem, sed contra præcedentem,) concedendo conscientiam vincibiliter errantem magis obligare, quam præceptum superioris, ex suppositione, quod non deponatur, cum tamen homo teneatur illam deponere, & obedire superiori, magis obligat superioris præceptum.

285. Respondeo secundò cum *P. Sanch. cit.* Conscientiam vincibiliter errantem plus obligare, si de obligatione intensiva loquamur, id est, de strictiori præcepto, & sub graviore culpa; siquidem peccans, & agens contra conscientiam, agit, & peccat contra proximam regulam humanarum actionum, & qua mediante, quæcumque præcepta habent vim obligandi. Deinde peccat contra præceptum Dei, quod directè violat, frangendo obligationem, quam ipsa conscientia errans falsò proponit: at verò non obediens Prælato, directè frangit præceptum humanum; & quamvis etiam indirectè transgrediatur divinum, quatenus Prælatus nomine Dei jubet, hanc tamen transgressionem non vult directè, sed indirectè, quatenus culpabiliter errat: quando autem dicimus, præceptum superioris magis obligare, quam conscientiam vincibiliter errantem, intelligitur cæteris paribus, ut cum *P. Vasq. inquit P. Sanch. cit.*

286. Hactenus cum communi Doctorum doctrina, adderem tamen, minùs benè discurrere, qui sic absolutè docent, conscientiam invincibiliter erroneam magis obligare, quam præceptum superioris de opposito; siquidem hoc solum videtur esse verum, quando conscientia erronea proponit legem alicujus superioris majoris illo, qui de novo præcipit oppositum; sicque falsum esse conscientiam invincibiliter errantem idèd magis obligare, quia semper proponit præceptum, cui superior derogare non potest.

287. Patet, quia si Conscientia invincibiliter errans mihi proponat jejunium hodiernum esse de lege naturali, & tunc Pontifex mihi præcipiat omittere jejunium, non potero; siquidem tunc magis me obligat Conscientia, quam præceptum, quatenus illa mihi proponit legem superioris majoris, cui Pontifex derogare non potest, ut cum multis docet *P. Sanchez lib. 8. de Matrim. d. 6. num. 5.* ubi asserit, Pontificem, licet possit aliquando dispensare in jure naturali, & Divino (quod etiam multi negant apud illum *num. 4.*) nunquam tamen posse illud in univèrsum abrogare: Si autem conscientia mihi etiam invincibiliter dicit præceptum hodierni jejunii esse ex mandato Episcopi, & tunc Pontifex præcipiat omittere jejunium, magis me obligat hoc præceptum, quam illa conscientia, cujus legi derogat Pontificis præceptum; ergo falsum est, quod conscientia invincibiliter erronea semper magis obliget

- obliget absolutè, & semper proponat præceptum, cui superior derogare non potest.
288. Dicent, Conscientiam illam, si tolli potest, jam esse vincibilem, non autem invincibilem, de qua procedit questio. Sed contra, quia ut conscientia illa sit invincibilis, satis est, quod mihi sine dubitatione proponat rem, sive jejunium esse præceptum ab Episcopo, cum tamen illud non præceperit.
289. Instabis: Conscientia invincibiliter erronea non potest tolli autoritate superioris; sed illa conscientia tollitur; ergo non est invincibilis. Respondeo majorem solum esse veram, quando conscientia proponit legem naturalem, aut alicujus superioris majoris.
290. Urgebis: Conscientia invincibiliter errans semper obligat, ut notificans legem Dei; præceptum autem humanum semper proponit legem humanam; sed lex Divina inducit majorem obligationem, quam lex humana; ergo magis obligat illa conscientia, quam hoc præceptum. Respondeo argumentum non habere magnam vim: nam cum præceptum humanum deberet etiam proponi per conscientiam, sola enim conscientia voluntati intimat præcepta, si prima conscientia idè semper obligaret, quia proponit mandatum Dei de sequendo dictamine conscientia; etiam hanc vim obligandi haberet secunda conscientia proponens mandatum superioris, cujus dictamen deberet homo sequi; ergo jam in hoc hujusmodi conscientia essent æquales; ergo tunc illa magis obligabit, quæ proposuerit legem à majori superiore provenientem; ac proinde semper est verum, quod conscientia invincibiliter erronea solum prævalet contra novum præceptum, quando ipsa proponit legem superioris majoris.
291. Hinc colliges primò, teneri hominem sequi legem, non inferioris Prælati, sed conscientia erronea, quando hæc proponit illam legem falsam, sed invincibiliter putatam majoris superioris. Secundò, quando conscientia proponens legem majoris superioris fuerit vincibiliter erronea, teneri hominem facere diligentiam, aut quousque deponat talem conscientiam; & tunc debet secundam sequi, utpote quæ obligat, cessante primâ: aut quousque ipsa prima reddatur certa, seu invincibilis, quaerendo ad id rationes; & tunc tenebitur homo ipsi primæ conscientia obedire.
292. Tertiò, si post factam diligentiam homo non deponat primam conscientiam, neque tamen acquirit certitudinem, sed tantum probabilitatem, quod Pontifex v.g. illi præceperit Missam, vel jejunium, tunc teneri obedire Episcopo Missam, vel jejunium prohibenti. Et ratio est, quia quando mihi solum probabiliter constat de aliquo præcepto, non teneor illi obedire; siquidem licet possum sequi oppositum etiam probabile; quando autem mihi constat certè de aliquo præcepto, non possum illud transgredi; sed in proposito eventu mihi certè constat de præcepto Episcopi, præceptum autem Pontificis non est certum, sed tantum probabile; ergo teneor sequi illud, quod est certum, licet oriatur ab inferiore potestate. Ita *P. Arriaga tract. de Actib. human. d. 22. sect. 5. num. 45.*
293. Quæres tamen hic primò: Qualiter Conscientia erronea debeat existere, ut obliget? Hæc questio jam ex his quæ supra diximus de Conscientia recta Sect. 4. per totam, satis constat; licet enim quando homo peccat contra conscientiam erroneam, hæc ordinariè existat actualiter, sicut supra diximus de Conscientia recta d. 2. num. 102. in quo sensu accipio *P. Azor. lib. 1. cap. 8. quest. 12. P. Vasq. 1. 2. d. 60. cap. 3. sine, P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica, sect. 7.*

num. 29. *P. Pal. tract. 1. de Conscient. d. i. punct. 4. num. 3. P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 11. num. 7.* ut tamen talis conscientia obliget, sufficit, quod virtualiter existat prout etiam supra diximus de Conscientia recta à num. 104.

294. Probatur primò ex supra dictis de Conscientia recta locis proximè citatis. Secundò, quia si quis ex conscientia erronea putaret Mahometum esse verum Deum, & ab Europa navigaret, ut cum in domo sua mahometana adoraret, talis homo in itinere multas exereret actiones malas inter se ordinatas ad eundem finem, licet jam non existat prior illa intentio actualis adorandi Mahometum; sed prædictæ actiones essent contra conscientiam erroneam solum virtualiter existentem; sicut enim intentio illa solum virtualiter perseverat in illis actionibus, ita etiam in illis, & in recollectione talis intentionis perseverat conscientia erronea; ergo &c.

295. Dices cum *P. Arriaga d. 22. de Actib. human. num. 41.* Conscientia est cognitio illuminans voluntatem, sicut lux illuminat aërem; sed lux non illuminat aërem, nisi actualiter existat; siquidem ut lux modò mihi viam ostendat, non sufficit, quod immediatè præcesserit hesternæ die, si modò non existat; ergo idem dicendum de Conscientia. Respondeo negando consequentiam; nam ut intellectus illuminet voluntatem, satis est lux virtualis, qualis est recordatio conscientia; sic enim dicunt Logici sufficere recordationem præmissarum ad conclusionem inferendam.

296. Neque exemplum de luce corporeâ multum valet: tum quia fingi non potest lux corporea: tum etiam quia adhuc dato, quod fingeretur, non sufficeret oculis ad videndum, cum sint potentia materiales: unde licet non vident, nisi rem materiallem, & materialiter, sive actualiter existentem; ita ad illam videndam requirunt lucem etiam actualiter existentem: at verò intellectus & voluntas, cum sint potentia spirituales, sicque abstrahentes à materialitate, & in essendo, & in cognoscendo, sicut intellectus potest cognoscere rem actualiter non existentem, & voluntas illam amare, ita etiam ut intellectus illuminetur, & illuminet voluntatem, satis erit lux, sive conscientia virtualiter existens.

## SECTIO XVI.

*Proponuntur, & resolvuntur aliquot dubia circa Conscientiam erroneam?*

297. **D**UBIUM I. Utrum æqualiter peccent delinquentes contra legem veram, & contra legem solum apparenter propositam per conscientiam erroneam? Exemplum sit, præcipit Prælati hodie Petro auditionem Missæ, non tamen Paulo; Paulus autem credit per conscientiam erroneam sibi etiam fuisse impositum præceptum audiendi Missam; uterque aut Missam omisit, aut Missam audivit. Questio igitur nunc est, an uterque commiserit æquale peccatum in omissione Missæ; aut habuerit æquale meritum in auditione illius? Affirmativè. Ita *P. Arriaga tract. de Actib. human. d. 22. num. 31.* dum asserit, neque minui malitiam, neque valorem operis in Paulo ex eo, quod respectu illius nullum detur præceptum, dummodò invincibiliter judicet sibi esse impositum.

Probatur

398. Probatur, quia violatio legis, prout est peccaminosa, aut illius impletio, prout est meritoria, solum est affectiva, & non effectiva; sed affectus non minuitur, neque augetur per hoc, quod cognitio dirigens, qualis est conscientia, vera sit in se, & illius objectum verè existat; ergo quando cognoscens laborat ignorantia invincibili, perinde est, ac si res verè existeret, quando conscientia erronea illam ut existentem proponit; consequenterque æquale meritum, aut demeritum habet, qui secundum conscientiam proponentem verum, atque habet, qui secundum conscientiam proponentem invincibiliter solum operatur. Confirmatur, quia Abraham dum putavit, Deum sibi verè præcepisse mactare filium, cum tamen Deus id non præceperit, tantum meruit, ac si reverà ei fuisset impostum tale præceptum: similiter, qui dat elemosynam pauperi ficto, tantum meretur, ac si reverà pauper esset; ergo &c. Vide supra à num. 81.

399. Dubium 2. Utrum peccatum contra conscientiam vincibiliter, aut invincibiliter erroneam constituitur in aliqua certa specie; sive ad quam speciem peccati pertineat? Respondeo pertinere ad eam speciem peccati, quam ipsa conscientia errans dicitur; ita ut Petrus percutiens feram, existimans esse clericum, committat sacrilegium, & ad speciem sacrilegii spectet illius peccatum. Patet ex supra dictis à n. 268. Neque tunc committit duo peccata, alterum contra conscientiam, & alterum contra virtutem religionis, prout diximus supra num. 270. Unde qui peccat contra conscientiam erroneam, non tenetur id in Confessione aperire, sed satisfacit, si dicat, se peccasse graviter in tali materia. Ita P. Vasq. 1. 2. d. 59. num. 11.

300. Inferes: Ergo qui equum occidit existimando esse hominem, poterit, & tenebitur se accusare de homicidio. Respondeo talem hominem non posse se accusare de homicidio externo; siquidem reverà non fuit homicidium; debere tamen ita se accusare: peccavi peccato homicidii interno, & ad id posui actionem externam, quæ tamen effectum non habuit.

301. Dubium 3. Utrum agere contra conscientiam erroneam, sit peccatum mortale; an veniale? Respondeo, esse peccatum mortale, si conscientia dicitur esse mortale: esse tamen veniale, si conscientia dicitur esse veniale. Patet ex supra dictis à num. 268. quod tamen intelligendum est de conscientia invincibiliter erronea; nam si conscientia sit vincibilis, & proponat ut veniale, illud, quod ex se est mortale, tunc discordare à tali conscientia erronea, erit peccatum mortale; siquidem ignorantia vincibilis non excusat. Unde si conscientia vincibiliter erronea tibi diceret, te teneri ad Missam solum sub veniali, & illam omitteres in die festo, peccares mortaliter.

302. Dubium 4. Utrum agere contra Conscientiam erroneam dictantem aliquid esse peccatum, non tamen determinantem, an sit veniale, aut mortale, sit nihilominus peccatum mortale? Advertes, dupliciter posse conscientiam hoc dictare. Primò ita ut determinet materiam, ut si dicat, *omissio Missæ, aut jejunii, est peccatum*. Secundò, non determinando materiam, ut si quis dicat, *volo peccare*, non assignando in qua materia, neque considerando rationem peccati mortalis, aut venialis, sed in communi, & in confuso. Hoc posito.

303. Dico 1. Si res primo modo contingat, & materia, quam Conscientia determinat, sit gravis, peccatum etiam erit grave, & mortale. Unde si Petrus sibi persuadeat, se teneri ad jejunium ante annum

vigesimum primum: ad recitandum Officium Divinum ante susceptos ordines sacros; & omisso jejunii, aut Officii ei representetur peccatum, non tamen grave, aut leve, peccabit graviter, si omitat jejunium, aut Officium. Ita P. Vasq. d. 59. num. 11. Si tamen materia sit levis, etiam peccatum erit leve. Unde si Petro representatur mendacium; aut manducatio duorum ovorum ob excessum in quantitate, esse peccatum, non tamen grave, aut leve, tunc Petrus solum venialiter peccabit, si mentiatur, aut duo illa ova comedat; siquidem mendacium ex se solum est veniale, & in materia gulæ ob excessum in quantitate, raro datur peccatum mortale, etiam si homo comedat usque ad vomitum, nisi detur notabile damnum sanitatis. Ita Joan. Henric. sum. cap. 19. num. 9. & cum eo Diana part. 5. tract. 13. resol. 49. & in sum. verb. Gula.

304. Dico 2. Si peccatum representetur secundo modo, nempe non determinando materiam, probabilius est peccare mortaliter, ut supra diximus num. 269. cum P. Azor. P. Vasq. Sayr. quos citat, & sequitur P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 11. num. 6, qui etiam oppositum dicit probabile, & solum peccare venialiter tenent Navar. sum. prelude. 9. num. 9. P. Valent. 1. 2. d. 2. quest. 14. punct. 4. quest. 3. sine. Lud. Lopez 1. part. cap. 3. vers. Præterea. Rodrig. sum. tomo 1. cap. 71. sine. P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica, sect. 3. num. 33. Diana part. 1. tract. 7. resol. 24. & alii. Et ratio est, quia ad peccatum mortale requiritur, quod malitia mortalis volita sit; sed quando homo desiderat peccare, non determinando materiam, malitia mortalis non est ei volita, cum non sit cognita; nihil autem est volitum, quin sit præcognitum; ergo tunc non peccabit mortaliter.

305. Dices: Homo tunc agnoscit periculum peccandi mortaliter; ergo mortaliter peccat; siquidem qui amat periculum, peribit in illo. Respondeo negando antecedens: supponimus enim, quod homo velit peccare abstrahendo à cognitione talis periculi, id est, nullo modo advertendo ad tale periculum, in quo eventu solum est volita ea malitia, quam Conscientia proponit, cum autem solum proponat malitiam in genere, quæ tota reperitur in peccato veniali, dicendum est, quod in tali eventu solum detur peccatum veniale.

306. Inferes 1. Ergo peccatum illud non erit mortale, neque veniale; siquidem conscientia tunc, sicut non representat rationem peccati mortalis, ita neque venialis; peccatum enim in communi neque est mortale, neque veniale; sicut animal in communi neque est homo, neque leo, sed ab utroque præscindit. Respondeo negando illationem; illud enim peccatum foret veniale negativè, id est, non mortale; siquidem non destrueret gratiam divinam, in quo sensu potest dici veniale, nempe quoad effectum permanendi cum gratia: sicut homo cum attritione, & Sacramento dicitur fieri ex attrito contritus, non quod attritio fiat contritio formaliter, sed tantum quoad effectum dandi gratiam, quatenus attritio cum Sacramento ponit in gratiâ, sicut in gratiâ ponit ipsa contritio.

307. Additur, quod ad peccatum mortale, cum sit tam grande malum, requiritur plus de cognitione; minus autem ad veniale, ad quod sufficit cognitio imperfecta, ut patet in semisopitis; undè licet ad veniale sufficiat cognitio illa peccati in communi, non ideo sufficeret ad mortale; ad quod etiam non sufficit, quod ex parte objecti proponatur malitia; imò neque quod expressè proponatur infernus, & offensa Dei; siquidem cognitio illa potest esse adeò tenuis, & imperfecta, ut ad solum veniale sufficiat.

308. Patet in semisopitis, quibus sæpè repræsentatur malitia gravis, infernus, & offensa Dei; & tamen solum venialiter peccant propter insufficientiam cognitionis, quæ nisi perfecta, & expedita sit, non sufficit ad mortale, licet malitiam gravem, infernum, & offensam Dei repræsentet. Imò aliquando nullum peccatum datur, sicut non datur in somniantibus se peccare graviter, & incurrere pœnas inferi, qui in hoc minimè peccant; ergo sicut somnus impedit deliberationem ad mortale, & veniale: & semisomnus media ex parte eandem deliberationem impedit, ita ut non sufficiat ad mortale, etiam stante illa expressa cognitione malitiæ, offensa, & inferni, ita etiam illam impedit in proposito eventu, quo homo solum malitiam in communi attingeret. Ita P. Arriag. *tr. de Actib. human. d. 13. à n. 27.*

309. Inferes 2. Ergo tunc homo non tenebitur confiteri illud peccatum, quo voluit malitiam in communi modo hæcenus explicato. Respondeo concedendo illationem contra P. Arriag. *cit. num. 28.* qui in hoc procedit incoherenter, dum dicit, cum sit res dubia, an actiones illæ sint mortaliter peccaminose, saltem sub dubio teneri hominem eas confiteri; nam si admittit, illud peccatum esse solum veniale, debuit etiam admittere, nullam dari in homine obligationem consistendi illud; siquidem confessio venialium non est sub præcepto; alioqui sub præcepto esset, & confessionem redderet invalidam mendacium, quando quis circa res ad confessionem non necessarias mentiretur, & illud mendacium non confiteretur, quod tamen est falsum.

310. Patet: quia si quis propter verecundiam diceret in confessione, commissi hoc peccatum, nempe superbiæ, quando nondum eram Sacerdos, aut Religiosus, valida esset talis confessio, etiam si tale peccatum fuerit commissum post Sacerdotium, & Religionem; sicque in similibus, in quibus ratione Sacerdotii, aut Religionis, non resultat aliqua reservatio, aut circumstantia mutans speciem. Imò adhuc in hoc ultimo casu dicunt aliqui viri doctissimi (quos tamen non sequimur,) quod possit homo primum explicare peccatum, & postea ejus circumstantiam, ut si quis Sacerdos ita se accuset; commissi luxuriam ante Sacerdotium, & postea in fine confessionis dicat; violavi votum in materia gravi.

311. Inferes 3. Ergo etiam quando conscientia determinaverit materiam gravem, si nullo modo repræsentaverit malitiam gravem, non erit peccatum mortale talem rem facere propter insufficientiam cognitionis requisitæ ad peccatum mortale, contra id, quod supra diximus n. 303. Respondeo concedendo illationem, neque hoc est contra id, quod supra diximus; in hoc enim casu militant rationes, quas hæcenus adduximus de cognitione insufficiente ad peccatum mortale, sufficiente tamen ad veniale: in casu autem adducto proximè citato loco supposuimus dari cognitionem attingentem malitiam gravem, licet ex conscientia erronea putetur levis.

312. Dubium 5. Utrum ex dispensatione Dei possit aliquis agere contra conscientiam errantem absque peccato? Multiplex est in hac re sententia: Prima absolute docet, posse Deum dispensare, ita ut operans contra talem conscientiam non peccet. Ita *Aliacens. Gerson, & Andreas de Castronovo*, quos refert *Almain. tr. 3. Moral. cap. 15.* Fundantur, quia Deus potest dispensare in omnibus, quæ sunt juris naturalis; ergo etiam in præcepto prohibente agere contra conscientiam errantem. Respondeo

argumentum, si procedat de conscientia in sensu composito, esse omnimò falsum; imò ex illo potius inferitur contrarium; nam sicut Deus dispensare nequit in sensu composito in iis, quæ sunt juris naturalis, ut infra dicemus; ita neque in conscientia: sicut autem in sensu diviso dispensare potest in non nullis præceptis, quæ per conscientiam proponuntur; & non in omnibus; ita cum proportione de conscientia, ut ex dicendis constabit.

313. Secunda sententia absolute negat, posse Deum dispensare. Ita *Almain. cit. cap. 16. Cordub. lib. 3. q. 10. proposit. 3. P. Soar. d. 12. sect. 4. n. 14. P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica. sect. 3. num. 28. P. Vas. 1. 2. d. 61. cap. 3. §. Ego verò. P. Azor. lib. 2. cap. 8. q. 11. P. Perez. Certam. 10. dub. 1. cap. 4. Pezant. art. 6. d. 20. §. Hinc sequitur, & alii.* Fundantur primò, quia obligatio conscientia est juris naturalis; sed Deus nequit abrogare, neque dispensare in jure naturali; ergo neque in obligatione conscientia erroræ. Respondeo argumentum si procedat contra dispensationem in sensu diviso, falsum esse, quod omnis obligatio conscientia sit juris naturalis, cum sapientissimè sit juris positivi; siquidem obligatio conscientia non distinguitur ab obligatione legis, quam proponit; hæc autem sæpè est positiva. Non excitamus hæc: Utrum Deus dispensare possit in jure naturali? De hoc enim suo loco.

314. Fundantur secundo, quia aut illa voluntas Dei sit nota homini, aut non: Si primum, faciet mutare conscientiam: Si secundum, retinebit eandem malitiam; siquidem voluntariè amplecteretur, quod existimat non licere; ergo nunquam ageret sine peccato. Respondeo argumentum solum probare, non posse Deum dispensare in obligatione conscientia errantis in sensu composito, prout infra dicemus.

315. Fundantur tertio, quia licet Deus possit dispensare in lege naturali, non ita in obligatione conscientia; siquidem repugnat, manente obligatione legis, in illa dispensare; nam per dispensationem legis tollitur ejus obligatio; sed quamdiu durat obligatio legis, durat conscientia; Conscientia enim applicat obligationem legis; ergo in illa sic manente non potest Deus dispensare, licet possit dispensare in lege auferendo ejus obligationem. Respondeo argumentum etiam solum probare de dispensatione conscientia in sensu composito, ut dicemus.

316. Tertia sententia traditur à *Lorcà d. 37. memb. 3. dub. ult.* quatenus contendit utramque præcedentem trahere ad concordiam, sicque asserit primam esse veram, si sermo sit de relaxatione obligationis inducæ à conscientia circa hanc aut illam materiam; sicut enim Deus, inquit, potest dispensare in præceptis veris, ita & in apparentibus, quæ per conscientiam repræsentantur. In quibus autem præceptis Deus valeat dispensare? Ad materiam de legibus spectat.

317. Secundam sententiam etiam dicit veram, si intelligatur de dispensatione obligationis generalis sequendi conscientiam; siquidem Deus concedere non potest, ut quis honestè operetur contra dictamen rationis; ut tamen verificetur, Deum posse dispensare in obligatione conscientia, sufficit, inquit, quod possit concedere, ut quis operetur contra id, quod conscientia dicit in hac, aut illa materia, ablato conscientia vinculo, sicut dispensat in præceptis, auferendo præcepti vinculum.

318. Non placet: Primò, quia supponit, conscientiam inducere distinctam obligationem ab obligatione legis, quod supra improbavimus. Secundo, quia licet concederetur prædicta distinctio obligationum, falsò

falsò diceretur, absolute posse Deum dispensare in priori, & non in posteriori; siquidem in sensu diviso posset dispensare in utraque; in sensu autem composito, in neutra, Tertio, quia prædictæ illæ sententiæ venire nequeunt in concordiam; siquidem utraque procedit de obligatione conscientie in sensu composito, in quo prima est falsa; secunda autem continet veritatem. Igitur

319. Quarta, & probabilior sententia asserit, Deum non posse dispensare in obligatione conscientie errantis in sensu composito: posse tamen in sensu diviso, quando scilicet conscientia errans proponit leges à Deo dispensabiles. Ita *Malder. d. 84. §. Respondeo*. Prima pars de dispensatione in sensu composito, nempe manente conscientia legem sive præceptum repræsentante, probatur fundamentis secundæ sententiæ adductis n. 314. & 315. in quo sensu locuti sunt Doctores illius sententiæ citati n. 313.

320. Secunda pars suadet, quia ut sæpe diximus, conscientia non obligat, nisi ratione legis, quam proponit voluntati; sicque eadem est conscientie, & legis obligatio; sed Deus potest dispensare in multis legibus, auferendo earum obligationem, quæ est dispensatio in sensu diviso; in aliis verò legibus non potest dispensare; ergo similiter poterit Deus dispensare in sensu diviso in obligatione conscientie errantis, quando hujus obligatio coinciderit cum obligatione legis à Deo dispensabilis; siquidem eum obligatio legis, & conscientie sit eadem, & dispensatio eadem super obligationem, eam relaxando, Deus qui potest relaxare obligationem legis, potest etiam obligationem conscientie, cum sit eadem, relaxare in sensu diviso.

321. Inferes: Ergo etiam Princeps creatus, & humanus poterit dispensare in obligatione Conscientie; siquidem cum conscientia aliquando sit de lege & præcepto dispensabili à potestate humanâ, licet hæc non dispenset in conscientia in sensu composito, poterit tamen dispensare in sensu diviso. Respondeo primò cum *Corad. & P. Vass. cit.* negando illationem; supponunt enim juxta suam sententiam tanquam certum, nullâ potestate humanâ dispensari posse in conscientia, sicut neque in lege naturali, aut purè divinâ.

322. Respondeo secundò juxta traditam doctrinam, concedendo illationem; eodem enim modo, proportionem habitâ, philosophandum est de potestate humanâ, ac divinâ; sicque quando conscientia fuerit de legibus, aut præceptis, in quibus potestas humanâ non poterit dispensare, etiam non poterit dispensare in conscientia, neque in sensu composito, neque in sensu diviso: poterit tamen in sensu diviso, licet non in sensu composito, dispensare in conscientia de legibus, aut præceptis dispensabilibus per principem, & potestatem creatam; siquidem eadem est ratio de potestate creatâ, & divinâ, si respectu legum proportionaliter comparentur.

323. Quæres hæc: Utrum satis sit, quod Deus possit dispensare in conscientia in sensu diviso, ut dicatur absolute, posse dispensare in omni conscientia errante? Affirmativè. Probatur, quia ad hoc, ut Deus dicatur absolute dispensare in lege, satis est, quod in illa dispenset in sensu diviso, licet non ita dispenset in sensu composito; ergo etiam ad hoc, ut dicatur simpliciter, posse dispensare in conscientia, satis erit, quod possit in illa dispensare in sensu diviso, licet non ita possit dispensare in sensu composito.

## SECTIO XVII.

Utrum, & quomodo Conscientia erronea possit licite deponi?

**D**IFFICULTAS I. Quomodo Conscientia erronea deponatur? Tunc dicitur conscientia deponi, quando homo cessat à judicio, quo judicabat aliquam rem esse licitam, aut illicitam: ut si pater judicet non esse sibi licitum vendere filium, & postea cesset ab hoc judicio, formando aliud judicium contrarium verum, nempe licitum est patri vendere filium nondum emancipatum ob nimiam paupertatem; quod etiam erat matri licitum stâdo in jure nature, sed nunc jus positivum soli patri id concedit sustentationis causâ, & sub eò ditione, quod emptor; si præcium sibi restituatur, statim hominem liberum dimittat, aut aliud sibi mancipium offeratur, ut ex l. 2. C. de Patrib. qui filium; Covar. lib. 3. var. cap. 14. num. 4. docet P. Less. lib. 2. de Just. cap. 5. num. 17.

Hæc conscientie erroneæ depositio quatuor modis fit, prout supra diximus de Conscientiâ rectâ, d. 2. à num. 123. Primò per voluntariam distractionem, ut quando homo cum advertentia applicat intellectum ad cogitandum de diversis rebus; ex quo fit, ut desistat à judicio conscientie.

325. Secundò per inadvertentiam merè naturalem, ut quando intellectus contra nostram voluntatem, aut saltem sine illius imperio, se diffundit in res diversas, quod sæpe contingit recitantibus Officium Divinum, cujus legem adhuc implent, qui contra voluntatem suam patiuntur defectum attentionis. Imò probabile est satisfacere præcepto Officii Divini (idemque de auditione Missæ,) Religiosum, & Clericum, qui voluntariè distractus, & sine attentione, saltem virtuali, recitaret Horas Canonicas, & ad nullam teneri restitutionem, si beneficium habeat. Ita P. Less. lib. 2. cap. 37. dub. 11. n. 68. P. Azor. lib. 10. cap. 13. quest. 8. Malder. 2. 2. tract. 10. cap. 2. dub. 4. P. Laym. lib. 4. tract. 1. cap. 5. num. 10. P. Toller. lib. 2. cap. 12. num. 16. Medin. Cordub. Castro. P. Henriquez lib. 9. cap. 25. num. 5. P. Egid. de Sacram. 3. part. quest. 83. art. 6. num. 291. & alii, quos citat, & sequitur Diana part. 2. tract. 12. resol. 1. & 2. contra plures alios ibidem citatos, qui contrarium ut probabilius tenent, & probant ex cap. dolentes de celebrat. Missæ & Gloss. ibi.

Tertiò fit Conscientie depositio, quando homo habet argumenta, & rationes, quæ faciunt formare judicium contrarium, ut si quis habeat conscientiam erroneam, quod peccet mortaliter recitando Officium Divinum Græcè, aut Hebraicè, postea verò inveniat rationes, quibus format judicium, quod sit licitum sic recitare; quamvis enim Pius V. prohibuerit recitare ritum Græcò; recitare tamen Græcè non est recitare ritum Græco. Ita P. Comitoli. quest. 50.

326. Quartò deponitur Conscientia, etiam per argumenta, non facientia formare judicium in oppositum, sed tantum dubitationem, ita ut intellectus neutri parti assentiat, sed suspensus maneat;posito enim hoc dubio, jam intellectus non potest conservare primum judicium, sive conscientiam, ut quando Petrus per Conscientiam erroneam credebatur esse peccatum occidere eos qui invadunt amicos, consanguineos, aut innocentes, cum tamen sit licitum, ut docet communis sententia apud P. Comitoli. lib. 4. quest. 10. Postea verò rem naturalem

maturius considerans, & inveniens pro utraque parte fortia, & æqualia argumenta, deposuit primum iudicium, non tamen formavit oppositum, sed dubitationem.

329. Difficultas 2. Utrum conscientia erronea licite deponi possit? Conscientia invincibiliter erronea licite deponi potest, imò sapius deponitur per naturalem oblivionem; sicut etiam per voluntariam distractionem, prout supra diximus de conscientia recta d. 2. n. 124. & 134. dummodò id non faciat, ut liberius, & sine remorsu operetur contra id, quod conscientia erronea dicitur; tunc enim erit illicitum, ut diximus loco citato.

330. Tertio, & quarto modo videtur, non posse conscientiam invincibiliter erroneam immediate deponi, sed prius debere fieri vincibilem per adventum rationum in contrarium, & sic factam vincibilem posse deponi. Unde quando conscientia erronea orta fuerit ex aliqua ratione, non potest tunc licite deponi sine rationabili fundamento, & sufficiente aliqua autoritate, ut infra dicemus.

331. Oppositum tenent aliqui statim citandi, & asserunt, conscientiam, etiam rationabili fundamento conceptam, posse ad libitum, & absque ulla ratione deponi, quoad applicationem ad opus; dicunt enim, si scemina audiat à concionatore esse peccatum mortale uti capillis alienis, quia simulationis mendacium est, & concionatoris rationibus convicta erroneum iudicium formet dictans in eo usu dari peccatum mortale, poterit nihilominus, si sibi placeat capillis alienis ornari, & nesciat rationem contrariam solvere, formare iudicium contrarium putans sibi licere, & non peccabit; siquidem cum in proposito eventu tota peccati ratio pendeat ex eo errore, sive conscientia errante, si hæc aut non admittitur, aut non perseverat, quia deponitur, nullum contra conscientiam peccatum admittitur. Ita Caiet. 1. 2. q. 19. art. 6. sine. Medin. ibid. dub. 3. Navar. cap. si quis autem de panis. dist. 7. n. 62. P. Valent. 1. 2. d. 2. q. 14. punct. 4. q. 3. P. Azor. lib. 2. cap. 19. sine. Sayr. in clavi. lib. 1. cap. 4. n. 18. apud P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 11. n. 9.

332. Hanc sententiam Caiet. periculosam vocat Lorea d. 12. & improbat P. Vasq. 1. 2. q. 19. d. 67. cap. 1. ad finem. Victor. Joam. Medin. Cordub. in quest. lib. 3. q. 1. 2. sup. P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica. sect. 3. n. 30. quos citat, & sequitur P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 11. n. 10. P. Pal. d. 1. de Conscient. pun. 6. num. 5. Primò, quia cum illa scemina nullum haberet rationabile fundamentum, ut crederet sibi licere alienis capillis ornari, quomodò posset habere sufficientis fundamentum conscientia, ut crederet sibi non esse peccatum? Secundò, quia si scemina illa iudicaret sibi licitum esse ornari capillis alienis, haberet simul duo iudicia contradictoria, alterum, quo crederet in univ. sum, sive generaliter peccatum esse ornari capillis alienis, & alterum, quo specialiter crederet id sibi licere sine peccato, qui planè assensus forent contradictorii. Tertio, quia licet illos simul habere posset, cum illum singularem assensum suæ conscientia haberet absque ulla ratione, pro sola sua voluntate, quia nollet duci autoritate concionatoris, non excusaretur à peccato; siquidem temerè, & absque fundamento tale iudicium haberet, & aliud deponeret, aut simul conservaret.

333. Dicendum igitur est, conscientiam errantem ratione aliqua conceptam licite deponi non posse sine sufficiente aliqua autoritate, & rationabili fundamento. Ita Doctores proximè citati & P. Sanch. d. 12. sect. 4. num. 16. Probat, quia si huiusmodi

conscientia absque ulla ratione, & rationabili fundamento deponatur, id fiet per voluntariam distractionem, ut supponimus; sed homo tunc incidet in ignorantiam affectatam; hæc autem non excusat à peccato; ergo peccabit operando contra conscientiam sic depositam.

334. Dixi conscientiam errantem aliqua ratione conceptam; quia, ut dicunt P. Vasq. cap. 1. sine. & P. Sanch. cit. n. 10. id, quod absque ratione probabili semel conceptum fuit, & statim per sese cognitum hæsit animo, & iudicatum est malum, iudicatur culpà carere, rem melius considerando, & perpendendo absque ratione id iudicatum esse malum; & prout sic conscientia erronea sicut absque ratione leviter fuit concepta, ita absque ratione prudenter deponitur.

335. Quæres tamen hic: Utrum ratio, per quam deponenda est conscientia errans, debeat esse efficacior ipsa conscientia, aut sufficiat, quod sit minùs efficax? P. Vasq. cit. §. Primo quidem, asserit, debere esse efficacior; nam si sit minùs efficax, ac minùs probabilis, non sufficiet ad assensum contrarium generandum, ac proinde ut prior erroneus deponatur.

336. Oppositum tamen tenet P. Sanch. cit. num. 10. dicens opus non esse ratione efficacior; siquidem minùs efficax, minùs que probabilis sufficiet ad concipiendum assensum alterius partis probabilem; retento tanquam probabiliori conscientia erronea assensu, quod satis est ad rectam operationem. Hinc est, quod si ego ex dicto, & rationibus Petri docti mihi persuasi, quod Pontifex non potest mihi dare jurisdictionem supra seipsum, etiam in foro interno, ut ego deponam hoc iudicium erroneum, non oportet, quod consulam Paulum doctorem Petro, qui mihi assignet rationes efficaciores, quibus formem contrarium iudicium, quod Pontifex potest mihi dare talem jurisdictionem in foro interno, non autem externo; sed illud possum deponere per rationes minùs efficaces, & minùs probabiles; siquidem ad operandum sine peccato sufficit opinio probabilis, ut infra dicemus.

337. Dices: Quando homo deponit conscientiam, etiam sine ulla ratione in contrarium, non operatur contra illam, utpotè quæ jam non existit, ergo non peccat; siquidem tota ratio peccati oriebatur ab illa existentia conscientia. Respondeo negando consequentiam; licet enim tunc non peccet contra illam conscientiam; peccat tamen quia habet ignorantiam affectatam, quæ à peccato non excusat; aut in ipsa depositione conscientia, quam temerè & absque rationabili ratione deponit.

338. Difficultas 3. Utrum homo teneatur conscientiam erroneam deponere? Diximus quomodò posset quis conscientiam deponere? Restat nunc inquirere: Utrum non solum possit, sed etiam teneatur homo conscientiam erroneam deponere? Dico 1. Homo tenetur, quamprimùm possit, deponere conscientiam vincibiliter erroneam, quando hæc talis est, ut in utraque parte contradictionis iudicet esse malitiam, ut contingit in casu pastoris, de quo supra sect. 7. n. 122. Probat, quia homo tenetur vitare peccatum, & illius periculum; sed homo in proposito eventu, nisi prædictam conscientiam deponat, non solum est in periculo peccandi, imò peccabit quamcumque partem eligat; ergo tenetur illam deponere, si potest; atqui potest, cum solum ignoret veritatem vincibiliter; ergo &c. Si autem non potest conscientiam deponere, jam hæc erit invincibiliter erronea, de qua idem dicendum est, quod supra diximus de Pastore in casu perplexitatis sect. 7. n. 128.

Dico 2.

339. Dico 2. Quando conscientia vincibiliter erronea non dicitur, utramque partem contradictionis esse malam, sed unam tantum, tunc non tenetur homo illam deponere: ut si conscientia dicitur Petro esse peccatum fricare barbam, aut per illum jurare, cum tamen peccatum non sit jurare per barbas, vestes, capillos, palcas, & alia vilia hujusmodi, ut docet *P. Sanch. lib. 3. decal. cap. 2. n. 35. P. Sarr. tom. 2. de relig. lib. 1. cap. 13. n. 3. & 23.* siquidem cum in illis divina bonitas specialiter non eluceat, non censetur Deus adduci in testem: in prædicto casu non tenetur Petrus deponere illam conscientiam, quæ dicitur, fricare barbam esse peccatum. Ita *P. Arriag. tract. de Actib. human. d. 23. sect. 1. n. 2.*

340. Probatur, quia illa ignorantia in se non est peccatum; siquidem ignorantia in tantum est peccatum, in quantum est causa, ut homo amplectatur malitiam, si velit rem illam amplecti, circa quam est ignorantia; ergo si homo, durante illa conscientia, seu ignorantia, noluerit, ut potest, fricare barbam, non peccabit; siquidem jam in illa ignorantia cessat tota ratio malitiae, & totum periculum incidendi in peccatum; ergo non tenetur illam conscientiam deponere.

341. Dices: Actio illa, quam conscientia erronea dicitur, potest esse talis, ut homo habeat frequentem occasionem, & tentationem exercendi illam, ita ut difficile possit se continere, quale est velle spuerre, loqui, bibere die jejunii, & similia, de quibus homo potest habere conscientiam erroneam, quod sint peccatum; ergo tunc tenebitur homo, si habeat virum doctum, deponere illam conscientiam, licet habeat firmum propositum non spuendi, bibendi, &c.

342. Respondeo concedendo totum in facta suppositione; siquidem tunc datur periculum volendi actiones illas, etiam judicatas ut peccatum, si deur postea occasio exercendi illas in absentia viri docti, quem possit consulere; sicque ratione talis periculi tenetur conscientiam illam deponere, hominem doctum consulendo.

343. Instabis: Etiam prout sic non vitatur omnino periculum; siquidem potest contingere, quod vir ille doctus asserat, prædictas actiones esse malas, quo posito, homo manebit in eodem periculo; ergo &c. Respondeo hoc nihil ob stare: tum quia etiam potest contingere, quod vir doctus actiones illas non damnet, & sic cessabit omne periculum circa illas: tum quia dato, quod illas damnet ut malas, jam non se exponit voluntarie illi periculo; hoc enim tunc provenit ex vera lege: tum etiam, quia sæpe homo facilius retrahitur ab actione faciendâ, quando certo cognoscit esse malam. Unde obligatio deponendi conscientiam in his casibus talis est, qualis est malitia, quæ putatur dari in actionibus exercendis, ita ut si illæ repræsententur malæ mortaliter, aut solum venialiter, sit peccatum mortale, aut solum veniale non deponere illam conscientiam.

344. Difficultas 4. Utrum sit gravius peccatum operari contra: an operari juxta conscientiam vincibiliter erroneam? Dicitur v. g. conscientia Petro teneri hic, & nunc ad juramentum falsum, ut liberet innocentem, tunc si juret, obedit conscientia, illam sequitur, & juxta illam operatur; peccat tamen, quia conscientia vincibiliter erronea non excusat à peccato: si verò non juret, non obedit conscientia, illam non sequitur, & contra illam operatur, & etiam peccat, prout supra diximus à n. 264. Questio igitur nunc est, qualem ex

Tom. 2.

his peccatis sit gravius?

Respondeo cum *P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 11. n. 15.* & aliis infra citandis, non posse certam regulam assignari, sed debere id expendi ex ipsa materia, quam conscientia proponit, sicque illud gravius erit, quod fuerit contra materiam, quæ apprehenditur sub graviore præcepto obligare. Ita *Cordub. in quest. lib. 3. q. 4. post 6. proposit. dub. 2. P. Vasq. 1. 2. d. 60. cap. 3. n. 10. P. Azor. lib. 2. cap. 8. q. 9. Sayr. in clavi, lib. 1. cap. 4. n. 24. 25. & 26. Spl. vest. q. 2. verb. Confessio. P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica. sect. 3. n. 27. P. Pal. d. 1. de Conscient. puni. 6. n. 2.* & alii apud illos.

Hinc est, si conscientia dicitur Petro, se teneri sub mortali dicere mendacium, ut liberet innocentem, & Petrus simul apprehendit, mendacium esse peccatum veniale, gravius peccare omitendo mendacium contra conscientia dictamen, quam mentiendo sequendo conscientiam contra præceptum non mentiendi: si autem ei repræsentaretur, quod minor esset obligatio liberandi innocentem, quam vitandi mendacium, gravius peccaret mentiendo, sequendo conscientiam, quam omitendo mendacium operando contra conscientiam. Et ratio est clara, quia gravitas culpæ sumitur ex gravitate præcepti; ergo quoties præceptum fuerit gravius, toties gravior erit culpa.

Si tamen contingat, quod præcepta repræsententur æqualiter obligare, tunc gravius peccatum erit agere contra, quam juxta conscientiam. Unde si conscientia mihi dicitur, me teneri sub veniali mentiri, & simul apprehendam, mendacium esse peccatum veniale, gravius culpa venialis erit non mentiri, quam mentiri. Et ratio est, quia cæteris paribus, gravius est peccare scienter, quam ignoranter; siquidem ignorantia semper minuit voluntarium; sed in proposito casu mentiendo, pecco ignoranter; siquidem peccatum, obediendo conscientia erroneæ, sit ex ignorantia; ignorantia enim est putare, quod mendacium sit licitum, etiam si per impossibile foret necessarium, ut omnes homines salvarentur; omitendo autem mendacium, pecco scienter; siquidem per conscientiam erroneam tunc scio, illam omissionem mendacii esse peccaminosam; ergo &c.

## DISPUTATIO IV. De Conscientiâ probabili, & improbabili.

### SECTIO I.

#### Quanam sit opinio probabilis?



AVERTES primò, quoties sententia, aut definitio fidei manifesta est, opinionem, quæ hujusmodi sententiâ, aut fidei definitione fulcitur, tanquam certam, & veram tuendam esse, quidquid Doctores aliqui gravissimi tradiderint.

Hinc rejicienda est primò sententia *Alens. 4. p. quest. 9. memb. 1. & D. Bonav. in 4. dist. 7. art. 1. q. 1.* asserentium Sacramentum Confirmationis non esse

à Chri-